



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

De dominio, quod homini conueniebat in statu innocentiae, ac naturæ
integræ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

tur, quam qui facit opus difficile, ac proinde opera Adami facta sine ulla extrinseca difficultate potuerunt esse efficaciora operibus nostris factis cum difficultate, ac resistentia concupiscentiæ. Difficultas tamen, in quantum est poenalis, & afflictiua, auger formalitè vim satisfaciuiam, vt explicabitur suo loco. Videri possunt quæ de difficultate operis meritorij dixi lib. 5. de gratia, quæst. 34. num. 5. & sequent. & præterea num. 17. & sequent.

11. Ad 3. Respondeo, quod vt dictum est quæst. 25. 8. num. 13. Magister in 2. dist. 24. cum alijs quibusdam docuit Adamum creatum fuisse sine gratia sanctificante, & iuxta hanc opinionem asseruit, quod Adam dum adhuc carebat gratia, resistendo tentationi, non meruit præmium beatitudinis supernaturalis, ad quod meritum requiritur gratia sanctificans. Sed vt diximus eadem quæst. 25. 8. Adam fuit creatus cum gratia sanctificante, & saltem obtinuit gratiam ante lapsum: ergo resistendo tentationi, & alia opera supernaturalia, exercendo, potuit mereri præmium supernaturalis beatitudinis: & quia habuit maiorem gratiam sanctificantem, quam ceteri homines habeant regularitè in natura lapsa, opera Adami fuerunt efficaciora ad merendum, quam opera nostra, vt explicatum est.

De Dominio, quod homini conueniebat in statu innocentia, ac naturæ integræ.

QVÆSTIO CCLXVII.

Utrum Adam in statu innocentie habuerit dominium in cetera animalia, & in omnes alias creaturas.

S. Thom. qu. 96. art. 1. & 2.

1. Sanctus Thomas quæst. 96. descendit ad agendum de dominio, quod Adamo conueniebat in statu innocentia, ac naturæ integræ.

Quæritur igitur primo cum S. Thoma art. 1. utrum Adam in statu innocentia animalibus dominaretur?

Respondet affirmatiuè. Probat primo in argumento *sed contra*. Nam Gen. 1. Deus dixit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus celi, & bestiis, uniuerseque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra:* & paulo post Deus primis hominibus dixit: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus celi, & uniuerfis animalibus, quæ mouentur in terra,*

2. Confirmatur: nam Genes. 2. habetur: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animalibus terræ, & uniuerfis volatilibus celi, adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea:* sed vt aduertit Chrysostomus Homil. 14. in Gen. fecit hoc Deus in signum dominij, quod dabit Adamo; ergo. Verba Chrysostomi sunt. *Factum autem hoc, non vt discamus illius sapientiam solum, sed vt symbolum dominij per nominum impositionem cognoscatur. Nam & hominibus mos est hoc facere, vt cum seruos emerint ipsorum nomina mutent. Vnde & Adam instruit, vt omnibus brutis tanquam dominus nomina indat.*

3. Probat secundo Sanctus Thomas ratione. Nam vt cum eodem Sancto Thoma qu. 95. artic. 2. diximus quæst. 259. & 260. in Adamo inobedientia eorum, quæ debent esse homini subiecta, subsecuta est in poenam peccati, per quod ipse fuit inobediens Deo: sed omnia animalia ratione carentia naturaliter debent esse subiecta homini: ergo antequam Adam peccaret, omnia animalia ratione carentia obediebant Adamo, ac proinde Adam illis dominabatur. Minorem, quod nimirum animalia ratione carentia naturaliter sint homini subiecta, probat Sanctus Thomas tribus rationibus.

4. Prima ratio est: quod naturaliter ordinatur ad vsum alterius, naturaliter est subiectum illi: sed animalia ratione carentia naturaliter ordinantur ad vsum hominis: ergo naturaliter sunt subiecta homini, ac proinde homo naturaliter habet dominium animalium. Probat minor: nam sicut res ita ordinantur in generatione, vt imperfectiora sint propter perfectiora, & forma imperfectior sit propter formam perfectiorem, sic ita ordinantur in vfu, vt perfectiora debeant vti perfectioribus, vt patet inductione: nam plantæ vtuntur terræ, ita vt ex ea sumant alimentum: animalia vtuntur, & aluntur plantis: homo vtitur animalibus: sed id, quod potest vti alio iuxta suam voluntatem, & ad proprium bonum, habet dominium in illud: ergo homo habet dominium in omnia animalia ratione carentia. Hinc inferitur ratio, quare licet plantæ naturaliter vtantur terræ, & animalia vtantur plantis, tamen nec plantæ habeant dominium terræ, nec animalia habeant dominium plantarum, & tamen homo ita possit vti brutis animalibus, vt habeat dominium illorum. Ad dominium enim requiritur potestas vtendi alio, ac de eo disponendi iuxta suam voluntatem: sed plantæ, & bruta animalia, cum careant ratione, & voluntate, nulla re possunt vti, disponendo de illa iuxta suam voluntatē, homo autem vtpotè præditus ratione, & voluntate potest vti animalibus, disponendo de illis iuxta suam voluntatem: ergo. Ideo Aristoteles 1. Polit. cap. 5. docuit, quod venatio syluestrium animalium est quoddam bellum iustum, & naturale, quia per eam homo vindicat sibi quod est naturaliter suum.

5. Secunda ratio est: Diuina prouidentia

Dddd 2

tia

tia ordine quodam inferiora gubernat per superiora; & ea, quæ ratione carent, per ea, quæ ratione sunt prædita: sed homo per rationem, per quam est ad imaginem, & similitudinem Dei, superior est animalibus ratione carentibus: ergo animalia ratione carentia debent esse subiecta gubernationi hominum, & cum homo possit illis uti ad bonum ipsius hominis, habet in animalia dominium proprietatis.

6. Tertia ratio est: Homo habet prudentiam vniuersalem, quæ est ratio practica de omnibus agibilibus: animalia autem ratione carentia participant solum aliquam prudentiam, in quantum per naturalem æstimationem apprehendunt convenientiam quorundam actuum particularium, puta convenientiam faciendi nidos, alendi filios &c. sed quod est per participationem debet subdi illi, quod est per essentiam: ergo. Confirmatur: nam quia vir naturaliter est prudentior muliere, & adultus est prudentior puero, mulier naturaliter debet esse subiecta viro, & pueri naturaliter debent esse subiecti adultis: ergo à fortiori, quia bruta habent solum quandam imperfectam rationem prudentiæ, debent naturaliter subdi homini, qui est simpliciter prudens.

7. Ex dictis infertur naturaliter homini conuenire aliquod dominium in bruta, ideoque tale dominium, etiam post peccatum, in homine remansisse. Tres enim rationes Sancti Thomæ, ac præsertim prima, probant dominium naturale, & naturaliter consequens ex ipsis naturis hominum, & brutorum animalium, ideoque etiam Aristoteles illud cognouit.

8. Opponi potest: dominium exercetur per imperium, ac præceptum: sed imperium, ac præceptum non potest exerceri nisi in ea, quæ ratione sunt prædita: ergo non datur dominium in animalia irrationalia.

Respondeo, distingo minorem: imperium, & præceptum morale potest exerceri solum in ea, quæ ratione sunt prædita, concedo: imperium, & præceptum purè physicum, nego. Imperium morale, ac moraliter obligans solum potest exerceri in ea, quæ ratione sunt prædita: imperium purè physicum quadam speciali ratione potest exerceri, & de facto exercetur in animalia etiam irrationalia, eo pacto, quo de facto domini imperant suis canibus, qui eis sponte obediunt, & pastores imperant suis gregibus. Ut enim aduertit Sanctus Thomas in hoc art. 1. quæst. 96. in resp. ad 4. *Omnia animalia habent quandam participationem prudentiæ, & rationis secundum æstimationem naturalem, ex qua contingit, quod græues sequuntur ducem, & apes obediunt regi.*

9. Sed hinc oritur secunda quæstio, & dubitatur, utrum Adam in statu innocentie habuerit in cætera animalia ex speciali Dei beneficio aliquod maius, & supernaturale dominium, quod peccando, sibi, & nobis amiserit.

Respondeo affirmatue cum Suarez lib. 3. de opere sex dierum, cap. 16. num. 10.

Probat: nam ut loquitur Sanctus Thomas hac quæst. 96. ad 4. *Tunc, hoc est in statu innocentie, omnia animalia per se ipsa homini obediissent, sicut nunc quedam domestica ei obediunt: sed naturaliter, ac de facto post peccatum animalia præsertim fera, & sylvestria, puta leones, lupi, serpentes, muscæ &c. non obediunt homini per se ipsa, ac veluti sponte, sicut canes obediunt dominis suis: ergo. Confirmatur, & explicatur. Nam de facto licet homines ita habeant dominium omnium animalium, ut possint ea per vim, & dolum veluti quodam bello iusto subicere, tamen non habent illa sibi sponte obedientia, sed experiuntur inobedientia, & hostiliter etiam repugnantia, ac sæpè lædentia, vulnerantia, interficientia &c. sed in statu innocentie sponte obediabant Adamo, nec unquam repugnassent, aut illum læsissent: ergo Adam ante peccatum maius habuit dominium in animalia, quam nunc post peccatum habeamus: sed illud maius dominium non erat homini naturaliter debitum, ac proinde non naturale, sed supernaturale, & ex speciali Dei beneficio illi donatum: ergo.*

10. Confirmatur: nam ex dictis quæst. 259. In Adamo ante peccatum pars inferior erat perfectè subiecta superiori, ita ut nunquam illi repugnaret, & hæc perfectæ subiectio non erat homini naturaliter debita, sed erat donum speciale, & supernaturale: ergo proportionaliter bruta debuerunt esse perfectè subiecta Adamo, & talis perfectæ subiectio fuisset humane naturæ indebita, & donum speciale, ac supernaturale. Addo, quod hoc donum erat quadam pars iustitiæ originalis, quæ consistebat in hoc, ut quandiu Adamus erat perfectè subiectus, & obediens Deo, inferiora essent subiecta superioribus, ac rationi, ut explicatum est quæst. 260. sed animalia bruta sunt inferiora homine: ergo. Si verò queratur, in quo consisteret hæc perfectæ subiectio, qua bruta animalia obediabant homini, dico, quod consistebat in speciali quodam instinctu à Deo brutis impresso ad obediendum homini, eumque non lædendū, proportionali instinctui, quo canes obediunt dominis suis, & in perfectæ quadam Adami sapientia, qua sciebat brutis imperare iuxta eorum instinctum. Videretur autem Deus, dum ut narratur Gen. 2. *Formatis de humo cunctis animalibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea, impressisse cunctis animantibus hunc instinctum, sicut Adamo infuderat sapientiam, qua posset animalibus nomina imponere eorum naturæ accommodata, illisque imperare iuxta eorum instinctum. De hoc instinctu possunt intelligi verba illa Ecclesi. 17. quibus de Deo dicitur: *Possuit timorem illius, hoc est Adami super omnem carnem, in quantum, scilicet fecit, ut omnia animalia reuererentur, & timerent hominem,**

tan-

tanquam suum dominum. Proportionaliter Deus, quia voluit cuncta animalia in arca speciali quadam obedientia esse subiecta Noe, dedit animalibus speciales instinctus, quibus accederent ad Noe in arca, ac Noe infudit specialem sapientiam, qua sciret brutis imperare, iuxta eorum instinctus. Videri potest Suarius lib. 3. de Opere sex dierum, cap. 16. num. 10.

11. Potest opponi. Augustinus lib. 9. de Gen. ad litteram dicit, quod ministerio Angelorum animalia sunt adducta ad Adam, ut eis nomina imponeret; sed si Deus animalibus impressisset instinctum sponte accurrendi ad hominem, non fuisset opus, ut ad eum adducerentur ministerio Angelorum; ergo.

Respondet ex doctrina Sancti Thomæ in resp. ad 2. quod licet Adam posset suo imperio sensibilibus expresso animalia in certa distantia existentia ad se aduocare, ita ut illa sic aduocata sponte accurrerent, non tamen poterat animalia ita distantia, ut non possent signa sensibilia percipere, ad se aduocare, ita ut ad illum accurrerent; ergo ut statim omnia animalia ex omnibus locis ad Adamum congregarentur, conueniens fuit, ut Deus vteretur ministerio Angelorum. Ut enim loquitur Sanctus Thomas, *In subiectos multa potest facere superior potest, quæ non potest facere inferior. Angelus autem est naturaliter superior homine.*

12. Quæritur tertio, utrum Adam, aliqui homines in statu innocentie indignissent animalibus ad aliquem usum, & ad quem usum indignissent?

Respondet ex Sancto Thoma hoc art. 1. quæst. 96. *Quod homines in statu innocentie non indigebant animalibus ad necessitatem corporalem, neque ad tegumentum, quia nudi erant, & non erubescabant, nullo instante inordinata concupiscentie motu; neque ad cibum, quia lignis paradisi vescerentur; neque ad vehiculum, propter corporis robur; indigebant tamen eis ad spirituales cognitionem sumendam de naturis eorum, quod significatum est per hoc, quod Deus ad eum animalia adduxit, ut eis nomina imponeret, quæ eorum naturas designant.*

13. Quæritur quarto, utrum ante peccatum inter aliqua animalia daretur naturalis discordia, & inimicitia, puta inter lupum, & ouem &c.

Respondet Sanctus Thomas in respons. ad 2. *Quod quidam dicunt, quod animalia, quæ nunc sunt ferocia, & occidunt alia animalia, in statu illo fuissent mansueta, non solum circa hominem, sed etiam circa alia animalia. Sed hoc est omnino irrationabile. Non enim per peccatum hominis natura animalium est mutata, ut quibus nunc naturale est comedere aliorum animalium carnes, tunc vixissent de herbis, sicut Leones, & falcones &c. Fuisset ergo naturalis discordia inter quedam animalia.*

14. Opponitur: quæ sunt naturaliter discordia, non conuenienter eidem subijciuntur; ergo animalia naturaliter discordia inconuenienter subiecta fuissent Adamo.

Respondet, negando antecedens: nam

sicut omnia naturaliter contraria, & discordia subijciuntur uni Deo, qui sua providentia vitatur eorum contrarietatibus, & discordiis ad bonum vniuersi, sic posuerunt subiecti homini, qui ut Dei Minister, & diuina providentia executor, vteretur illis in ordine ad fines à Deo intentos. Confirmatur: nam homines etiam de facto in statu naturæ lapsæ dominantur animalibus domesticis, discordibus, puta canibus, & felibus: falconibus, & gallinis, ac falconibus dant gallinas in cibum.

15. Quæritur quinto, utrum Adamo datum fuerat dominium super omnia animalia, nullo excepto?

Respondet Theodoretum quæst. 20. in Gen. existimasse quedam animalia non fuisse creata propter hominem, ac proinde eorum dominium Adamo non fuisse datum. Concludit. *Non dominatur igitur homo ceteris illis grandibus, neque bestijs, quæ fortasse ab initio non propter ipsum creata sunt.*

16. Reijcitur hæc opinio à Pererio lib. 4. in Genesim, à Suario lib. 3. de opere sex dierum, cap. 16. num. 13. & ab alijs communiter. Primo enim Scriptura pluribus in locis significat cuncta omnino animalia subiecta fuisse homini. Nam Gen. 2. Deus dicit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præstet piscibus maris, & volatilibus celi, & bestijs, vniuersæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra: sed sub piscibus maris, volatilibus celi, bestijs, vniuersæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra, comprehenduntur omnia omnino animalia, etiam cetera grandia, quæ continentur sub piscibus maris: ergo. Ecclesiast. 17. de Deo dicitur: Dedit illi, hoc est Adamo potestatem eorum, quæ sunt super terram. Posuit timorem illius super omnem carnem, & dominatus est bestiis, & volatilibus. Psal. 8. Dauid Deum alloquens dicit: Constituisi eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Iacobus cap. 3. suæ Epist. dicit Omnis natura bestiarum, & velucrum, & serpentium, & ceterorum domantur, & domita sunt à natura humana: ergo.*

17. Secundo reijcitur ratione desumpta ex Augustino lib. 19. de Gen. ad litteram, cap. 14. & ex Basilio Hom. 10. in Hexam. Nam homo omnibus illis animalibus dominatur, quæ potest physicè, ac moraliter capere, domare, mansuefacere, & interficere, ac in suos usus conuertere: sed hæc omnia homo potest physicè, & cum effectu, ac moraliter, & licitè exercere in omnia omnino animalia, etiam in cetera grandia, seu balænas, ac de facto exercet, ut constat experientia: ergo.

18. Quæritur sexto cum Sancto Thoma art. 2. quæst. 96. utrum Adamo datum fuerit dominium non solum animalium, sed etiam aliarum rerum?

Respondet Sanctus Thomas, quod Adamo datum fuit dominium omnium aliarum rerum creatarum, exceptis Angelis. Probat Sanctus Thomas: nam quandoquidem in homine

mine quodammodo sunt omnia, proportionaliter habet dominium eorum, quæ sunt extra se, ac habet dominium eorum, quæ sunt in ipso homine: sed in homine ratio non est subiecta dominio, sed est domina cæterorum, quæ sunt subiecta ipsi rationi: ergo homo non habet dominium Angelorum, qui sunt rationales, sed habet dominium omnium aliarum rerum creaturarum, ac proinde sicut in homine, qui est microcosmus, hoc est mundus parvus, ratio est domina, cætera sunt subiecta dominio rationis, sic in macrocosmo, seu mundo magno, creature rationales sunt domina, cætera autem sunt subiecta dominio creaturarum rationalium. Addit Sanctus Thomas, quod proportionale dominium homo habet in ea, quæ sunt extra se, ac habet in ea, quæ sunt in ipso homine. Explicatur propositio. In homine quatuor possunt considerari. Primum est ratio, in qua homo convenit cum Angelis. Secundum sunt vires sensitivæ, in quibus convenit cum cæteris animalibus. Tertium sunt vires naturales, ac vegetativæ, in quibus convenit cum plantis. Quartum est ipsum corpus, in quo convenit etiam cum rebus inanimatis. Ratio in homine est domina, & non est subiecta dominio: ac proportionaliter Angeli, cum quibus homines conveniunt in ratione, non sunt subiecti dominio hominum. Concupiscibili, & irascibili, quæ aliquantulum obediunt rationi, dominatur ratio, imperando: & proportionaliter animalibus irrationalibus, quæ aliquantulum percipiunt imperium, Adam dominabatur, imperando. Viribus naturalibus, ac vegetativis, ac corporibus inanimatis, quæ nullo modo percipiunt imperium, ratio dominatur, non imperando, sed illis vrendo: ac proportionaliter Adamus plantis, & corporibus inanimatis dominabatur, non imperando, sed absque impedimento vrendo eorum auxilio. Est igitur homo dominus etiam corporum cælestium, quæ creata sunt propter hominem, quia licet non possit eorum cursus mutare, ut dicit Dionysius episcopus ad Polycarpum, tamen potest eorum auxilio uti, eo pacto, quo utitur multipliciter luce, & alijs cælestibus influentijs.

19. Addo ex Suario lib. 3. de opere sex dierum, cap. 16. num. 7. quod homo per rationem est capax etiam dominij, tum proprietatis, tum iurisdictionis in cæteros homines. Ratio est, quia homo per rationem non solum potest disponere, & ordinare quæ spectant ad animalia bruta, sed etiam quæ spectant ad alios homines, eisque imperare, tum ad bonum ipsorum, tum ad bonum proprium imperantis: ergo est capax obtinendi dominium tum proprietatis, tum iurisdictionis in alios homines, ut constat etiam experientia, & magis explicabitur questione sequenti. Imo homo est capax dominandi etiam Angelis, ac de facto Christus est Dominus Angelorum iuxta doctrinam Apostoli, qui ad

Hebr. 2. docet etiam Angelos esse subiectos Christo, ac de Christo specialiter exponit illud Psal. 8. *Constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius*; & addit. *In eo enim, quod omnia ei subiecit, nihil dimisit, non subiectum ei*. Confirmatur: nam ut idem Apostolus dicit 1. ad Corinth. 6. *Angelos indicabimus*: sed munus iudicandi spectat ad dominium iurisdictionis: ergo homines beati habebunt dominium iurisdictionis in Angelos malos; ac ex proportionali ratione possunt in eos obtinere etiam dominium proprietatis.

QVAESTIO CCLXVIII.

Utrum omnes homines in statu innocentie fuissent aequales, vel unus homo alteri dominaretur?

S. Tho. quest. 66. artic. 3. & 4.

1. **A**rticulo tertio quaerit, utrum in statu innocentie, ac naturæ integræ omnes homines fuissent aequales, vel potius aliqua inter eos fuisset inæqualitas?

Respondet, quod proculdubio in statu innocentie, ac naturæ integræ aliqua inter homines fuisset disparitas. Probat. Primo enim fuisset diversitas sexuum, sine qua non potuisset dari naturalis generatio: sed mas est perfectior foemina: ergo. Secundò data fuisset inæqualitas ætatis. Neque enim tunc homines fuissent steriles, sed aliqui ex alijs nascerentur, ac proinde filij fuissent iuniores parentibus. Tertiò in ijs, quæ ad animam spectant, homines fuissent inæquales quoad scientiam, iustitiam, & virtutes morales. Nam homines non operarentur ex necessitate, sed ex libero arbitrio, ac proinde unus magis, quam alius, incumberet scientijs, ac virtutibus acquirendis, ac inæqualiter in rerum cognitione, iustitia, & virtutibus moralibus proficerent. Quartò fuissent etiam inæquales in ijs, quæ spectant ad corpus. Nam corpus humanum non fuisset omnino exemptum à legibus naturæ, cum etiam cibus hominum vita sustentaretur: ergo ex diversa aeris dispositione, ac diverso situ stellarum aliqui generarentur robustiores, pulchriores, & melius complexionati, quam alij, sed ita ut nemo haberet defectum aliquem consistentem in privatione perfectionis debitæ, ac proinde nemo fuisset cæcus, surdus, claudus, mutus, egrotus &c. Tales enim defectus repugnant perfectioni illius status.

2. Probat secundo in argumento *sed contra*. Nam ut dicitur ad Roman. 13. *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt*: sed ut dicit S. Augustinus lib. 19. de Civit. cap. 13. *Ordo est parium, dispariumque rerum sua, cuique loca tribuens dispositio*: ergo ordo creaturarum includit quandam dispa-

disparitatem, & inæqualitatem, ac proinde homines in statu naturæ integræ ordinarentur secundum quandam disparitatem, & inæqualitatem, quæ non dedeceret perfectionem illius status. S. Gregorius igitur in Pastoralis p. 2. cap. 6. dicens, quod *ubi non delinquimus, omnes paves sumus* excludit solum disparitatem, & inæqualitatem ortam ex peccato, non autem alias disparitates, & inæqualitates, quæ non supponunt peccatum, sed conducunt ad perfectionem vniuersi.

3. Inferitur primo iuxta doctrinam Sancti Thomæ in resp. ad 3. quod causa inæqualitatis in statu naturæ integræ potuisset dari, tum ex parte Dei, tum ex parte naturæ. Potuisset quidem dari ex parte Dei, non quidē vt quosdam puniret, alios præmiaret: (nam loquimur de inæqualitate præcedente omnia merita, & demerita) sed vt quosdam plus, quosdam minus sublimaret, vt pulchritudo ordinis magis in hominibus reluceret. Potuisset etiam dari causa inæqualitatis ex parte naturæ, siquidem potuisset oriri ex diuersa aeris dispositione, & ex diuerso situ stellarum &c. vt dictum est num. 1.

4. Inferitur secundò iuxta doctrinam eiusdem Sancti Thomæ in respons. ad 2. quod talis inæqualitas non impediret, sed potius augeret mutuam dilectionem, quæ cum sit vinculum pacis, debet inter homines esse maxima in statu naturæ integræ. Ratio est, quia inæquales aliquando naturaliter magis se mutuo diligunt, quam æquales. Ex gr. fratres inter se comparantur vt æquales, Pater, & Filius comparantur vt inæquales, & tamen conaturaliter pater, & filius magis se mutuo diligunt, quam duo fratres. Æqualitas igitur est per se causa mutue dilectionis, qua duo se æqualiter diligant, iuxta illud Ecclesiast. 13. *Omne animal diligit sibi simile; sic & omnis homo proximum sibi.* At quædam inæqualitas, puta quæ datur inter patrem, & filium, potest esse causa, vt magis se diligant, quam qui propter æqualitatem se diligunt æqualiter, eo pacto, quo Pater, & Filius se mutuo diligunt inæqualiter, siquidem Pater naturaliter magis diligit filium, quam diligitur à filio, & tamen Pater, & Filius magis se mutuo diligunt, quam duo fratres, qui naturaliter se diligunt æqualiter.

5. Articulo quarto querit, vtrum in statu innocentie, ac naturæ integræ vnus homo dominatus fuisset alteri homini.

Responder duplex esse dominium. Primum est dominium proprietatis oppositum, seruituti, quod exercetur in seruos: secundum est dominium iurisdictionis, quod exercetur in liberos. Quia verò ex Aristotele initio metaph. seruus per hoc differt à libero, quod liber est gratia sui, seruus autem ordinatur ad alium: dominium proprietatis est potestas alium hominem ordinandi, illique præcipiendi ad vtilitatem dominantis, ac præcipientis: dominium autem iurisdictionis est potestas

alium hominem ordinandi, illique præcipiendi ad bonum subiecti.

6. Hoc supposito, Sanctus Thomas ponit duas conclusiones. Prima conclusio est: in statu innocentie non data fuisset seruitus, ac proinde non datum fuisset dominium proprietatis, quo vnus homo dominaretur alteri in bonum ipsius dominantis. Ratio est, quia cum homo naturaliter sit gratia sui, violentum illi est ita alteri subdi, vt ordinetur ad bonum dominantis; sed omne violentum causat tristitiam, ideoque seruitus homini naturaliter displicet; in statu autem innocentie homo non passus fuisset quidquam violentum, & quod naturaliter afferat tristitiam: ergo in statu innocentie non fuisset seruitus, ac proinde nec dominium proprietatis, quod exercetur in seruos. Confirmatur: nam libertas est vnum ex præcipuis bonis convenientibus naturæ humanæ; sed hoc bonum homini non defuisset in statu innocentie, in quo ex S. Augustino lib. 14. de Ciuit. cap. 10. *Nihil aberat, quod bona voluntas cupere posset*: ergo. Vt igitur dicit idem Augustinus lib. 19. de Ciuit. cap. 15. *Hominem rationalem ad imaginem suam factum non voluit Deus nisi irrationalibus dominari; non hominem homini, sed hominem pecori*, dominio nimirum proprietatis, vt explicatum est. Seruitus autem introducta est post peccatum, & conditio seruitutis iure intelligitur imposita peccatori, vt dicit Augustinus lib. 19. de Ciuit. cap. 15. & subdit. *Proinde nusquam in Scriptura legimus seruum antequam hoc vocabulo Noe iustus peccatum filij vindicet*. Nomen igitur istud culpa meruit, non natura.

7. Secunda conclusio est: dominium aliquod iurisdictionis, quod exercetur in liberos in bonum subditorum, fuisset in statu innocentie, ac naturæ integræ. Probatur primo: nam homo naturaliter est animal sociale, ac proinde homines in statu innocentie socialiter vixissent; sed ad vitam socialem multorum requiritur, vt sit aliquis prædens, qui intendat bonum commune, multi enim intendunt multa, & vnusquisque intendit proprium bonum, vnus autem intendit vnum, ac proinde ad vnâ societatem requiritur vnus, qui intendat bonum commune illius, quod est vnum; ergo.

8. Probatur secundo: nam esset inconueniens, vt si quis alijs emineret scientia, & iustitia, non vteretur illis in vtilitatem aliorum, iuxta illud 1. Petri 4. *Vnusquisque gratiam, quam accepit in alterutrum administrans*: ergo conueniens esset, vt qui alijs excelleret scientia, & virtute, alijs præderet in ordine ad bonum commune. Ideo Sanctus Augustinus lib. 14. de Trinit. cap. 14. dicit, quod *iusti non dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi, nec principandi superbiæ sed prouidendi misericordia. Hoc naturalis ordo præscribit: ita Deus hominem condidit.*

9. Probatur tertio: nam vir est caput mulieris, vt docet Apostolus ad Eph. 5. ideoque ad Coloss. 3. monet, vt mulier subdita sit viro, quod

quod idem monet Petrus Epist. 1. cap. 3. sed ius viri in uxorem, ac Patris in Filios est naturale, & est necessarium ad gubernationem familie; ergo hoc ius, quod est quoddam dominium, datum fuisset etiam in statu innocentie, ac naturæ integræ.

10. Opponitur. Genes. 3. in pœnam peccati dictum est: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*; ergo ante peccatum mulier non fuisset subdita viro.

Respondeo, quod mulier ante peccatum fuisset sub potestate solum directiua, non autem coercitiua viri, ac in pœnam peccati constituta est sub potestate etiam coercitiua viri. Hæc doctrina desumpta est ex S. Augustino, qui lib. 11. de Genes. ad litteram cap. 37. dicit, illis verbis, *Sub viri potestate eris*, significatam fuisse seruitutem quandam cuiusdam conditionis potius, quam dilectionis, atque in hoc sensu maritum habere dominium in uxorem, quod non meruit natura, sed culpa. Rupertus autem lib. 3. in Genes. cap. 21. aduertit Deum non solum mulieri dixisse *sub viri potestate eris*, sed etiam addidisse, *& ipse dominabitur tui*, quod aliquid amplius indicat, nimirum dominium coercitiuum.

11. Probatum quarto: nam vt arguit Sanctus Thomas in argumento *sed contra*, conditio hominum in statu innocentie non fuisset perfectior conditione Angelorum; sed in Angelis aliqui præsumunt, aliqui subsunt, vt cum Dionysio, & Sancto Thoma diximus qu. 199. & 200. ideoque datur in Angelis ordo Principatum, & Dominationum: ergo &c.

12. Infertur cum Suario lib. 5. de Opere sex dierum, cap. 5. num. 16. quod sicut in statu innocentie non fuisset seruitus, sic neque fuisset famulatus, quo dominus imperat famulo mercede conducto, qui famulus non sit seruus, sed liber. Ratio est, quia potestas domini in famulum ordinatur in bonum domini: ergo famulatus non deceret perfectionem status innocentie. Confirmatur: nam nullus homo sit famulus alterius, nisi propter indigentiam, vel necessitatem huius vite mortalis; sed in statu innocentie non esset talis indigentia: ergo &c.

13. Pro maiori explicatione doctrinæ traditæ proponenda sunt, & soluenda aliqua dubia. Quæritur ergo primo, vtrum in statu innocentie daretur aliqua societas, & communitas?

Respondeo affirmatiue cum Suario lib. 5. de Opere sex dierum, cap. 7. num. 1. & 2. Ratio est, quia vt docet Aristoteles lib. 1. Polit. cap. 1. prima societas homini naturalis est, qua mas coniungitur fœminæ contractu matrimonij ad filiorum procreationem: sed procreatis filiis, augetur hæc societas, in qua pater habet naturaliter dominium directiuum; ergo etiam in statu innocentie daretur domus, ac societas domestica, in qua pater naturaliter haberet dominium directiuum vxoris, & filiorum. In natura lapsa ad perfectam

societatem domesticam, requiruntur etiam serui, vel famuli, quia multis indigemus. At in statu innocentie hominibus omnia præsto essent ad sustentationem vitæ, ideoque non indigerent seruis, ac famulis, & seruitus, ac famulatus dedecet illum statum, vt dictum est num. 6. & 12. ergo societas domestica non includeret secundario societatem domini cum seruo, vel famulo.

14. Quæritur secundo, vtrum in statu innocentie daretur societas pagi, & qualis esset?

Respondeo affirmatiue. Probatum. Vt enim 1. Polit. cap. 1. docet Aristoteles, multiplicatis filiis, & nepotibus, multiplicantur familie, quæ connaturaliter sibi parant plures domos propinquas habentes inter se aliquam societatem: sed plures domus propinquæ constituunt pagum, seu paruum quandam, & imperfectam ciuitatem, & societas plurius familiarum habitantium domos propinquas est societas pagi: ergo etiam in statu innocentie daretur societas pagi, ac valde connaturaliter pater primæ familie haberet potestatem directiuam cæterarum familiarum.

15. Quæritur tertio, vtrum in statu innocentie daretur societas ciuilis, ac politica, ac ciuitas perfecta, vel regnum?

Respondeo affirmatiue cum Suario lib. 5. de Opere sex dierum, cap. 7. num. 6. qui pro hac sententia citat etiam Caietanum in comment. art. 3. & 4. quæst. 96. Lipomanum in catena Genes. cap. 9. & Pererium lib. 4. in Genes. disput. de imperio hominis. Probatum: nam ex proportionalibus rationibus, ex quibus in natura lapsa ultra domos, & pagos datur ciuitas, & societas ciuilis, etiam in statu innocentie debuisset dari ciuitas, & societas ciuilis: ergo. Probatum antecedens. Ideo enim in natura lapsa ultra domum, & pagum datur ciuitas, & societas ciuilis, quia societas domestica, & familiarum constituentium pagum est imperfecta, & insufficiens ad bene viuendum, vt constat experientia, quæ videmus in domibus, & pagis plurima deesse, ac proinde debet constitui aliqua societas perfecta, & sufficiens, qualis est societas ciuitatis, ac regni: sed etiam in statu innocentie societas domi, aut pagi esset proportionaliter insufficiens: ergo. Probatum, & explicatur minor. Nam licet in statu innocentie societas ciuilis non esset necessaria propter indigentiam corporum, vel defensionem, siquidem omnia ad vitam conseruandam præsto essent, ac nulla darentur bella, sed perpetua pax, & tranquillitas, tamen esset necessaria ad studium scientiarum, vt doctiores minus doctos instruerent, ad exercitium virtutum præsertim ad alterum, ad iucundam vitæ communicationem, & ad plura alia. Confirmatur: in Angelis enim beatis datur societas, in qua aliqui præsumunt, aliqui subsunt, & communicant sibi mutuo per actiones hierarchicas, & hanc perfectam societatem Angelorum Sanctus

Aut Augustinus in libris de Ciuitate Dei vocat ciuitatem, ac Scripturæ sæpiſſimè vocant regnum coelorum: ergo etiam inter homines in ſtatu innocentie deberet dari ſocietas perfecta ciuiliſ, per quam ſibi mutuo communicarent, & aliqui præſent, aliqui ſubſent, & hæc ſocietas conſtitueret ciuitatem, vel regnum &c. Deberet etiam dari perfecta ſocietas eccleſiaſtica in ordine ad finem, & religionem ſupernaturalem.

16. Quæritur quarto, vtrum Adam naturaliter fuiſſet princeps, ac Rex mundi?

Reſpondeo hanc eſſe differentiam inter domum, & ciuitatem, quod in domo Pater naturaliter habet poteſtatem directiuam familiæ; at in ciuitate poteſtas politica naturaliter datur in communitate, quæ debet determinare formam gubernationis, ac eligere vnum, aut plures, qui præſint. Adam igitur non fuiſſet naturaliter Rex, ſeu princeps mundi, licet fuiſſet valdè congruum, vt hominibus multiplicatis, eligeretur in regem, & principem, dando illi perfectam iuriſdictionem directiuam illi ſtatui conuenientem?

17. Quæritur quinto, vtrum in ſtatu innocentie fuiſſet diuiſio rerum?

Reſpondeo negaſſe Scotum in 4. diſt. 15. quæſt. 4. art. 1. ac Sorum, alioſque communiter, qui in Tract. de Iuſtitia, & iure de rerum diuiſione diſputarunt. Exiſtimo hanc communem ſententiam eſſe veram, ſed congruè explicandam, vt illam explicat Suarius lib. 5. de Opere ſex dierum, cap. 7. num. 18. Primo igitur videtur, quod nullum daretur præceptum in ſtatu innocentie prohibens aliquam rerum diuiſionem. Non enim datur fundamentum talis præcepti, vt benè aduertit Leſſius lib. 2. de Iuſtit. & iure cap. 2. dub. 2. Secundo videtur, quod data fuiſſet aliqua diuiſio bonorum mobilium. Nam qui colligeret fructus arborum ad comedendum, eo ipſo acquireret aliquod ſpeciale ius ad illos, propter quod non poſſent abſque iniuria ipſi inuito auferri. Tertio videtur, quod in bonis immobilibus, ac præſertim in agris non neceſſaria eſſet hæc diuiſio, & de iſis præcipuè loquuntur auctores citati. Potuiſſet tamen quis in aliqua parte agri ſeminare, & tunc non potuiſſet iuſtè priuari uſu illius particulæ terræ. Quia verò hæc, quæ diuiderentur, pro nihilo reputantur reſpectu eorum, quæ remanerent communia, ideo abſolute negatur diuiſio bonorum in ſtatu innocentie. In hoc ſenſu aliqui Patres, ac præſertim Clemens ep. 5. relatus cap. 2. 12. quæſt. 1. aliquando dicunt communem uſum rerum per ſe conuenire hominibus, diuiſionem autem propter peccatum fuiſſe introductam, ac Chryſoſt. orat. de S. Philogonio dicit. *Meum, ac tuum, frigidum illud verbum, & quidquid eſt malorum in vitam noſtram inuehens*: & ſimilia habet Ambroſius lib. 7. in Lucam, cap. 12. ad illa verba: *Nolite ſolliciti eſſe*.

18. Quæritur quinto, quibus actionibus,

vel operibus homines in ſtatu innocentie occuparentur.

Reſpondeo, quod præſertim occuparentur operationibus vitæ contemplatiuæ. Ideo Damasc. lib. 2. de fide, cap. 30. dicit. *Deus in paradiso tam ſpirituali, quam corporeo hominem collocarat, ſiquidem in corporeo, qui in terra erat, quantum ad corpus degens, ſpiritaliter verſabatur cum Angelis, diuinas cogitationes excolens, iſſque ferè ſe alens, nudus ob ſimplicitatem, vitamque arte, & ſuco carentem, atque ita comparatus, vt ad ſolum creatorem per res ab ipſo creatas aſurgeret. ipſuſque contemplatione quam iucundiſſimè fruere- tur. Exercentur etiam operationibus vitæ adiuuæ illi ſtatui conuenientibus, vt colligitur ex illis verbis Gen. 1. *Poſuit Deus hominem in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum*. Sicut igitur Adam exercuiſſet operationes iucundas agriculturæ, ſic exercuiſſet operationes quarundam aliarum artium, præſertim liberalium. Videri poſſunt Suar. lib. 5. de Opere ſex dierum, cap. 7. num. 20. & Perer. lib. 4. in Gen. diſp. de uſu carniū in ſtatu innocentie.*

QVÆSTIO CCLXIX.

Vtrum Adam, & eius poſteri, ſi non peccaſſent, immunes fuiſſent à morte, & ab alijs miſerijs mortalitatis?

1. **V**identur fuiſſe morituri. Ideo enim de facto homines, & omnia animalia moriuntur, quia conſtant ex quatuor elementis, & ex qualitatibus contrarijs, ex quarum pugna ſequitur tandem mors, & corruptio; ſed Adam, & poſteri, ſi non peccaſſent, nihilominus compoſiti fuiſſent ex quatuor elementis, & ex qualitatibus contrarijs: ergo &c.

2. Reſpondeo, quod vt refert Auguſtinus lib. de hæreſibus, Hæreſi 88. & lib. de geſtis Pelagij, cap. 8. & ep. 106. ad Paulinum, & pluribus alijs locis, Pelagius inter ceteros errores docuit, Adamum, etiam ſi non peccaſſet, fuiſſe moriturum, ac proinde mortuum fuiſſe, non poena peccati, ſed conditione naturæ. Hunc errorem iam pridem damnatum noſtris temporibus ſecutus eſt Franciſcus Garraſſus in ſumma Theologica lib. 3. pag. 700.

3. Dicendum primo contra hunc errorem cum S. Auguſtino, quem omnes Catholici ſequuntur: Adam ſi non peccaſſet, non fuiſſet mortuus, adeoque mortuus eſt, non neceſſitate naturæ, prout fuerat de facto creata, ſed in poenam peccati.

4. Probatur primo ex Scriptura. Primus locus eſt, quo vtitur Auguſtinus lib. 1. de peccatorum meritis, & remiſſione, cap. 2. Nam Genef. 2. Deus Adæ dixit: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris*; ergo Adam

Eecce mor-

mortuus est in poenam transgressionis. Respondere Pelagius, Deum per illa verba comminatum esse mortem spiritualem animæ, non materiale corporis. Reijcitur ab Augustino. Nam illam mortem comminatus est, ad quam post transgressionem damnauit Adam Genes. 3. dicens, *Pulvis es, & in puluerem reuerteris*; sed damnauit Adamum ad mortem corporis, quod solum in puluerem reuertitur: ergo.

5. Secundus locus est: Ad Rom. 8. dicitur: *corpus quidem mortuum est propter peccatum*. Hoc loco allato lib. 1. de Peccatorum meritis, & remissis. Sanctus Augustinus dicit. *Puto, quod non expositor, sed tantum lector opus habeat tam clara, & aperta sententia*. Idem probant verba Apostoli ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum introiit, & per peccatum mors*. Rom. 5. *Stipendium peccati mors*.

6. Tertius locus est. Sapientia 1. dicitur. *Deus mortem non fecit, & Sapientia 2. Deus creauit hominem inexterminabilem*: inuidia autem Diaboli mors introiit in orbem terrarum.

7. Probat secundum ex Concilijs. Primo Concilium Diospolitanum in Palestina celebratum anno 415, cum in eo fuisset Pelagius obiectum, quod ipse, & Coelestinus docuissent Adam mortalem factum, qui sine peccaret, sine non peccaret, mortuus esset, propositionem illam anathematè condemnauit, & Pelagium coegit, ut idem dogma damnaret. Augustinus epist. 106. post medium relato hæc iudicio Concilij Palestini, dicit: *Vnde fit consequens, ut quisquis sequitur illius episcopalis auctoritatem iudicij, et ipsius Pelagij confessionem, hæc tenere debeat, quæ semper tenuit Catholica Ecclesia: Adam nisi peccasset, non fuisse mortuum &c.*

8. Concilium Carthagenense can. 1. dicit. *Placuit omnibus Episcopis, qui fuerunt in hac sancta Synodo, ut quicumque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ut sine peccaret, sine non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate natura, anathema sit*. Concilium Arausicum 2. can. 2. *Si quis mortem tantum corporis, quæ poena peccati est, non autem & peccatum, quod mors est animæ, per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur, iniustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti &c. & per peccatum mors*. Tridentinum sess. 5. can. 1. dicit. *Si quis non confitetur primum hominem Adam &c. incurrisse per offensam præuicationis huiusmodi iram, atque indignationem Dei, atque adeo mortem, quam antea comminatus fuerat &c. anathema sit*.

9. Probat tertio ratione. Nam sicut Deus ita condidit Adam, ut si ipse remaneret obediens Deo, haberet appetitum sensitiuum perfectè obediens rationi, & voluntati, sic ita eundem condidit, ut dum per charitatem, & gratiam anima Adami esset vnita Deo, qui est vita animæ, corpus maneret vnitum animæ, quæ est vita corporis: sed dum corpus manet vnitum animæ, homo non moritur:

ergo Deus ita condidit Adamum, ut nisi peccando, amitteret vitam animæ, neque moriendo amitteret vitam corporis.

10. Dicendum secundo: Adam ante peccatum in aliquo sensu erat mortalis, in alio immortalis.

11. Probat, & explicatur. Duplex distingui potest mortalitas, & duplex immortalitas. Prima mortalitas est, per quam quis potest mori, sed non debet mori, hoc est non necessitatur ad moriendum. Secunda mortalitas est, per quam non solum potest mori, sed etiam debet, cum necessitatur ad moriendum. Proportionaliter prima immortalitas est, per quam quis potest non mori, sed non necessitatur ad non moriendum. Secunda est, per quam non solum potest non mori, sed non potest mori, cum necessitatur ad non moriendum. Hoc posito, Adam post peccatum, ac nos eius posteri sumus, ita mortales, ut nullo pacto simus immortales. Nam ita possumus mori, ut debeamus, ac non possumus non mori, cum necessitemur ad moriendum. Beati post resurrectionem erunt immortales secundum, & perfectam immortalitatem. Nam non solum poterunt non mori, sed non poterunt mori, & necessitabuntur ad nunquam moriendum. Adam ante peccatum erat aliquo pacto mortalis, aliquo pacto immortalis. Nam poterat non peccare, & sic mortem vitare: poterat etiam peccando in mortem incidere, & moriendi necessitatem incurrere: ergo erat mortalis prima illa mortalitate, qua poterat mori, sed non habebat necessitatem moriendi: erat immortalis prima, & imperfecta immortalitate, qua poterat non mori, sed non habebat necessitatem non moriendi.

12. Tota hæc doctrina disertè traditur ab Augustino pluribus locis. Lib. 6. de Gen. ad litter. cap. 25. loquens de corpore Adami dicit. *Illud ante peccatum, & mortale secundum aliam, & immortale secundum aliam causam dici poterat, id est mortale, quia poterat mori, immortale, quia poterat non mori*. Aliud est enim non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creauit Deus: aliud est autem posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis. Et paulo post. *Si enim corpus animale, utique mortale, quia & mori poterat, quamuis & immortale ideo, quia & non mori poterat. Neque enim immortale, quod mori omnino non possit, erit, nisi spirituale, quod nobis futurum illud in resurrectione promittitur*. Addit, quod corpus Adami propter peccatum factum est, non mortale, quod antea erat, sed mortuum, quia nimirum incidit in necessitatem moriendi. Lib. de Corrept. & Grat. cap. 12. dicit. *Prima immortalitas erat posse non mori. Nouissima erit multo maior non posse mori*. Lib. 22. de Ciuit. cap. ultimo: *Sicut prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori, nouissima erit non posse mori*. Lib. 1. de Peccatorum meritis, & Remissis. cap. 3. *Sicut enim hæc ipsa caro, quam nunc habemus, non ideo non est vulnerabilis, quia non est necesse, ut vulneretur*.

ur, sic illa non ideo non fuit mortalis, quia non erat necesse, ut moreretur: & infra cap. 5. loquens de corpore Adæ dicit. *Antequam mutaretur in illam incorruptionem, quæ in Sanctorum Resurrectione promittitur, poterat esse mortale, quamvis non moriturum: Sicut hoc nostrum potest, ut ita dicam, esse agrotabile, quamvis non agrotaturum. Cuius enim caro est, quæ non agrotare possit, etiamsi aliquo pacto priusquam egrotet, occumbat? Sic & illud corpus iam erat mortale.*

13. Dicendum tertio: sicut Adam ante peccatum fuit immunis à necessitate moriendi, & à luctu carnis, & spiritus, sic fuit immunis à necessitate patiendi mala famis, sitis, senectutis, ægritudinis, doloris, &c. & vniuersim ab illa felicitatis patria aberat omnis miseria, quæ siue ex animo, siue ex sensibus, siue ex corpore, siue ex rebus externis irruente, cruciaretur inuitus.

14. Probatur primò: nam homines ita sunt conditi, ut quodlibet malum physicum, esset pœna mali morali, adeoque ut nisi sponte committerent malum morale culpæ, essent immunes ab omni malo physico pœnæ; sed famis, sitis, senectus, ægritudo, dolor &c. sunt mala physica; ergo si Adam non peccasset, fuisset immunis ab omnibus his malis. Ideo S. Augustinus lib. de natura boni, cap. 7. dicit: *Creaturis præstantissimis; hoc est rationalibus spiritibus, hoc præstitit Deus, ut si nolint corrumpi, non possint, id est si obedientiam conseruauerint sub Domino Deo suo, ac sic incorruptibili ptebriudini eius adhaferint: si autem obedientiam conseruare noluerint, quoniam volentes corrumpuntur in peccatis, nolentes corrumpantur in pœnis.*

15. Probatur secundo. Nam ideo Adam ante peccatum non habebat necessitatem moriendi, ac patiendi luctum carnis cum spiritu, quia mors, & luctus carnis cum spiritu erant quædam miseriæ, quas non debebat pati inuitus, nisi in pœnam peccati sponte commissi; sed etiam famis, sitis, senectus, ægritudo, dolor, sunt quædam miseriæ, quas pati non debebat inuitus, nisi in pœnam peccati commissi; ergo.

16. Inferitur primo, quod necessitas patiendi mortem, senectutem, ægritudines &c. non est natura hominis, prout de facto fuit à Deo conditus, sed pœna peccati originalis.

17. Inferitur secundo, quod in statu innocentie tota hominum cura versari debuiſſet, non in hoc, ut expellerent mala famis, sitis, ægritudinis, caloris, frigoris &c. quæ parentur inuiti, cum nullo huiusmodi malum passi fuissent inuiti, sed in hoc, ut talia mala, arcerent, ne status illius integritatem, & felicitatem violarent. His malis arcendis nulla alia cura esset necessaria, quam ut in bona voluntate ex Dei amore persisterent, & omnem voluntatem peccaminosam, & inordinatam, excluderent. Si enim adhuc mala arcenda, nollent vi remedijs à Deo institutis, eo ipso peccarent, & sic paterentur malum physicum consequens ex malo morali culpæ. Vbi ergo

fuissent cibo, & potu affatim illis parato, non ut expellerent famem, vel sitim, quæ iam cruciarentur, sed ut auerterent, ne cruciaret. Vbi fuissent ligno vitæ, non ut se liberarent à malis senectutis, vel ægritudinis, in quæ iam incidissent; sed ne vquam in mala senectutis, vel ægritudinis inciderent. Adam igitur constitutus erat in tali statu, ut nullum posset pati, vel timere malum physicum, nisi à se ipso, ita ut liberrimè peccando, illud mereretur.

18. Tota hoc doctrina traditur ab Augustino pluribus locis. De immunitate à malis famis, sitis, ac senectutis agit lib. 11. de Ciuit. cap. 20. dicens. *Alebantur ergo alij, quæ sumebant, ne animalia corpora molestia aliquid esuriendo, ac sitiendo sentirent. De ligno autem vitæ propterea gustabatur, ne mors eis undecumque subreperet, vel senectute confecti, decursis temporum spatij interirent. Et eodem libro, cap. 23. Corpus eius cibo, & potu egebat, ne fame afficeretur, ac siti, & non immortalitate illa absoluta, ac indissolubili, sed ligno vitæ à mortis necessitate prohibebatur, atque in iuuentutis flore detinebatur. Lib. 1. de peccatorum meritis, & remis. cap. 3. Habebat & de lignorum fructibus refecutionem contra defecutionem, & de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem. Et lib. 4. contra Iulianum, cap. 14. Habebat sustentaculum animali corpori necessarium, ne indigentia laderetur: de ligno autem vitæ, ne senectute perduceretur ad mortem. De immunitate à corporis ægritudinibus, molestiis, & laboribus lib. 1. Retract. cap. 11. dicit. *Ægritudinem ita nullam corpora illa patientur, sicut nec ista pati possent ante peccatum. Et lib. 2. de Gen. contra Manichæos, cap. 7. Quid mirum si corpus, quod de limo qualicumque factum est, potuit ab omnipotente Artifice tale fieri, ut nulla molestia, nulla indigentia cruciaret hominem ante peccatum, & nulla corruptione tabesceret. Lib. 9. de Gen. ad litt. cap. 5. Nondum erat labor, ut adiumento indigeret. De immunitate ab omnibus corporis malis intrinsecus, vel extrinsecus irruentibus dicit lib. 83. quæst. quæst. 30. Et ante lapsum quidem non utebatur tolerandis, nec post lapsum vitetur nisi conuersus. Lib. 14. de Ciuit. cap. 10. Erat deuitatio tranquilla peccati, quæ manente, nullum omnino aliunde malum, quod contristaret, irrueret: & lib. de correptione, & gratia. In quibus prorsus nullum patiebatur malum. Et lib. 5. contra Iulianum cap. 5. loquens de Paradiso, ac de statu innocentie dicit. *Vbi absit, ut credamus aliquid fuisse, unde sensum nostrum siue intrinsecus, siue extrinsecus, aut dolor pungeret, aut labor fatigaret, aut pudor confunderet, aut ardor ureret, aut algor stringeret, aut horror offenderet.***

19. Ad argumentum in contrarium. Homines de facto ideo senescunt, ægrotant, patiuntur calorem, frigus, famem, sitim, quia ita constant ex quatuor elementis, & ex qualitatibus contrariis, ut supernaturaliter non sit illis prouisum de medijs, quibus possint vitare mortem, senectutem, famem, sitim, & alia mala: sed in statu innocentie erat illis supernaturaliter prouisum de his medijs: ergo si non peccasset, fuisset immunis à morte, & ab alijs malis mortalitatis affeculis, ut explicatū est.

QV AESTIO CCLXX.

Virum immortalitas, & impassibilitas primi hominis fuerit donum supernaturale? & an intrinsicum, vel extrinsecum?

1. Videtur immortalitas primi hominis fuisse naturalis, ac debita naturæ innocentis, primo quia Augustinus lib. 1. de Ciuit. cap. 14. dicit: *constat inter Christianos veraciter catholicam tenentes fidem etiam ipsam nobis corporis mortem, non lege naturæ, quæ nullam mortem homini Deus fecit, sed merito infligam esse peccati; sed si homo non moritur lege naturæ, sed in pœnam peccati, lege naturæ non est mortalis sed immortalis; ergo.*

2. Secundo, Concilium Arausicum 2. can. 2. dicit, *iniustitiam Deo dare eos, qui afferunt homines mortuos, quamvis non peccassent; sed si immortalitas non esset naturaliter debita homini innocenti, nulla esset iniustitia, si Deus voluisset homines mori, etiam si non peccassent; nam nulla est iniustitia negare homini innocenti dona supernaturalia, & indebita; ergo.*

3. Tercio Animæ immortalis naturaliter debetur corpus immortale: sed animæ rationalis est immortalis; ergo animæ rationali naturaliter debetur corpus immortale; ac proinde homo naturaliter deberet esse immortalis, ac solum debet esse mortalis in pœnam peccati.

4. Respondeo Propositionem 88. Michaelis Baij damnatum à Pio Quinto, & Gregorio XIII. esse: *Immortalitas primi hominis non erat gratia beneficium, sed naturalis conditio.*

5. Contra huic errorem dicendum primo cum communi, ac certa sententia: Immortalitas primi hominis non fuit naturalis conditio, seu proprietas naturaliter debita, sed beneficium gratiæ, ac donum supernaturale, & naturæ indebitum.

6. Probatum primo ex Patribus, & præsertim ex S. Augustino, qui lib. 6. de Gen. ad litt. cap. 25. dicit: *Secundum quemdam modum creatus est primus homo immortalis, quod ei præstabat de ligno vite, non de conditione naturæ, & paulo post: mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditionis; lib. 1. de Ciuit. cap. 20. loquens de immortalitate primi hominis dicit: qui status ei de ligno vite, quod in medio Paradisi cum arbore vetita simul erat, mirabili Dei gratia præstatur; ergo S. Augustinus expressè docet primum hominem conditione naturæ, & corporis animalis fuisse mortalem, ac Dei gratia de ligno vitæ fuisse immortalem. lib. 1. cap. 3. de Peccatorum meritis, & remissione dicit: Si Deus Israelitarum vestimentis, & calceamentis præstitit, quod per tot annos non sunt obtrita, quid mirum si obedienti homini eiusdem potentia præstaretur, ut animale, & mortale habens cor-*

pui, haberet in eo quemdam statum, in quo sine defectu esset annosus, tempore, quo Deus vellet à mortalitate ad immortalitatem sine media morte venturum? Sicut enim hac caro, quam nunc habemus, non ideo non est vulnerabilis, quia non est necesse ut vulneretur, sic illa non ideo non fuit mortalis, quia non erat necesse, ut moreretur. Talem puto habitudinem adhuc in corpore animali, atque mortali etiam illis, qui sine morte hinc translati sunt, fuisse concessam. Neque enim Enoch, & Helias per tam longam senectutem marcuerunt. S. Augustinus hoc loco comparat primum hominem, qui non erat moriturus, vestimentis Israelitarum, quæ non corrumpuntur, Enoch, & Helias, qui tot sæculis non moriuntur, carni, quæ licet sit vulnerabilis, nunquam vulneratur; sed vestimenta Israelitarum erant naturaliter corruptibilia, licet diuino beneficio non corrumperebantur: Henoch, & Helias sunt naturaliter mortales, licet supernaturaliter per tot sæcula conseruentur: caro, quæ nunquam vulneretur, ex natura sua est vulnerabilis; ergo S. Augustinus docet primum hominem naturaliter fuisse mortalem, & passibilem, ac solum ex gratia Dei sortitum quamdam immortalitatem, & impassibilitatem.

7. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Ioan. cap. 15. expressè dicit: *Rationale animal homo à Deo productus, quia natura sua incorruptibilis, atque perpetuus esse non poterat, spiritu vite signatus, immortalitatis bonum supra naturam est consecutus. Eandem sententiam ex Patribus desumpserunt Magister in 2. dist. 19. & S. Thomas 1. par. quæst. 97. art. 1. ad 3. quos secuti sunt omnes Theologi, ideoque merito propositio illa 78. Michaelis Baij damnata est à Pio Quinto, & Gregorio XIII.*

8. Probatum secundo ratione: Nam, homo naturaliter est mortalis, & corruptibilis; ergo solum supernaturaliter, & per donum, gratiæ potest esse immortalis, & incorruptibilis. Probatum antecedens: primo homo naturaliter constat ex quatuor elementis, & ex contrariis qualitatibus; sed ex mutua pugna elementorum, & qualitatum oritur naturalis corruptibilitas aliarum rerum inferiorum, ut videmus; ergo etiam homo est naturaliter mortalis, & corruptibilis secundum corpus. Secundo homo etiam in statu innocentie fuisset generabilis, ideoque dictum ei est Gen. 1. *Crescite, & multiplicamini*; sed quod est naturaliter generabile, est naturaliter corruptibile; ergo. Tercio Adam indiguisset cibo, & potu, ideoque Gen. 1. *Herbæ, & fructus dantur primo homini in esum*; sed quod indiget cibo, & potu, & si careat cibo, moritur, naturaliter est mortale; ergo &c. Videri potest Bellarm. lib. de Gratia primi hominis cap. 19.

9. Ad 1. nego maiorem. Homo lege naturæ est mortalis, veruntamen si non peccasset, lege naturæ non fuisset mortuus, quia fuisset præseruatus à morte per donum supernaturale gratiæ. De facto igitur morimur non lege

lege naturæ; sed in pœnam peccati, propter quod priuati sumus dono immortalitatis.

10. Ad 2. Licet homo naturaliter sit mortalis, tamen Deus primum hominem condens dedit illi donum supernaturale immortalitatis, & pactus cum eo est, vt non moreretur, nisi in pœnam peccati. Supposito, quod homo sic fuerit conditus, si moriturus fuisset, etiam si non peccaret, Deus inflixisset homini sine culpa, adeoque fuisset iniustus, ac proinde bene dicit Arafuscanum, quod iniustitiam Deo tribuunt, qui asserunt homines morituros, quamuis non peccassent.

11. Ad 3. nego maiorem, ac dico, quod animæ rationali dum primo infunditur corpori, debetur corpus mortale, & corruptibile. Primo enim debetur corpus generabile, siquidem debet esse forma hominis generabilis; sed corpus generabile debet esse corruptibile, & mortale; ergo. Secundo debetur corpus aptum ad sentiendum; sed corpus vt sit aptum ad sentiendum, debet esse compositum, & temperatum ex qualitatibus contrariis, adeoque corruptibile; ergo animæ debetur corpus naturaliter corruptibile, & mortale, quodque solum per donum supernaturale possit fieri immortale, & incorruptibile.

QVÆSTIO CCLXXI.

Virum, & quo pacto Adam fuisset immortalis ex ligno vitæ.

1. Videtur Adam in statu innocentie fuisse immortalis, & aliquo pacto impassibilis per qualitatem illi intrinsecam, vel per plures qualitates intrinsecas. Primo enim ex dictis qu. 260. Adam ante peccatum fuit immunis à ludâ carnis cum spiritu per qualitatem illi intrinsecam; ergo fuit immunis à morte, senectute, agridudinibus &c. per qualitatem illi intrinsecam, vel per plures qualitates intrinsecas.

2. Secundo immortalitas primi hominis non erat transiens, & breui tempore duratura, sed erat donum permanens, & propria conditio illius status; sed hæc dona permanentia solent consistere in aliqua qualitate intrinseca subiecto; ergo &c.

3. Tertio corpora gloriosa erunt immortalia, & impassibilia per qualitatem intrinsecam proportionatam statui gloriæ; corpora damnatorum sicut immortalia, licet non impassibilia, per qualitatem intrinsecam proportionatam statui damnationis; ergo etiam homines in statu innocentie fuissent immortales, & quodammodo impassibiles per qualitatem proportionatam statui innocentie.

4. Quarto foemina in statu innocentie parerent sine dolore ratione qualitatis, quæ eorum corpora intrinsece disponerentur ad pariendum sine dolore; ergo &c.

5. Respondeo hominem de facto posse mori, vel morte violenta, vel morte naturali. Moritur morte violenta, cum mors causatur à causa extrinseca, puta à gladio, vel igne &c. Moritur morte naturali, cum mors causatur à causa intrinseca, & præsertim ab actione calidi in humidum. Explicatur exemplo. Quia ignis accensus in lucerna, vel candela, nutritur humido olei, vel ceræ, illudque absorbit, consumpto humido, ignis extinguitur. Proportionaliter corpora hominum constant ex calido, & humido, & calidum nutritur humido, illudque consumit, ideoque consumpto tandem humido, calidum extinguitur, & sic homo moritur morte naturali, & per marcorem.

6. Hoc posito, certum est ex dictis qu. 15. quod homines in statu innocentie fuissent immunes ab utraque morte, tum naturali, tum violenta. Quæritur, vtrum hæc immunitas oriatur ex qualitate homini intrinseca, per quam neque posset extingui à causis extrinsecis, puta à gladio, vel igne, neque à causis intrinsecis, ac præsertim ab actione caloris in humidum. Theologi communiter docent, vel supponunt hominem in statu innocentie nullam præditum fore qualitate permanente intrinseca, quæ impediret actionem caloris in humidum, ac mortem naturalem ab illa actione tandem causandam, sed præseruandum à morte à causa extrinseca, hoc est à comestione fructus de ligno vitæ, qui fructus habebat virtutem reparandi calorem, & humidum, quo identidem reparato, homines nunquam morerentur. Aliqui tamen docent homines in eo statu præditos fore aliqua qualitate intrinseca, qua solidarentur, ita ut à nulla causa extrinseca ignis, gladii &c. possent lædi, vel interfici. At non conueniunt in explicando subiecto, in quo reciperetur hæc qualitas. Molina tractatu de opere 6. dierum disp. 28. conclus. 3. & 4. docet hanc qualitatem fuisse corpoream, & receptam in corpore Adami, & per omnia membra diffusam, Alii, vt Valentia 1. tom. disp. 7. quæst. 3. puncto 2. dixerunt hanc qualitatem fuisse spirituales, ac non corpori, sed animæ inhæsisse, & hanc sententiam tribuunt Auctori quæst. veteris, & noui Testamenti, quæst. 19. ex S. Thomæ 1. par. quæst. 97. art. 1. in corpore, vbi dicit corpus Adæ fuisse indissolubile, non per aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem, sed quia inerat animæ vis quædam, supernaturalis diuinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione præseruare. Eandem sententiam indicat S. Thomas in 2. dist. 19. quæst. 1. art. 4. & quæst. 5. de malo art. 5. Eandem sententiam Sancto Thomæ tribuit Scotus in 2. dist. 19. quæst. 1. & ideo Caietanus 1. par. quæst. 97. art. 1. & 4. sequitur hanc opinionem vt Sancti Thomæ. Aliqui Thomistæ docuerunt qualitatem illam esse gratiam ipsam, quæ est in essentia animæ, & tunc habebat virtutem præseruandi corpus à morte, & corruptione. Videri potest Suar. de opere 6. dierum lib. 3. cap. 10. n. 9. 10. & 11.

7. Di-

7. Dicendum primò cum communi sententia: Adam in statu innocentie non fuisset immortalis, & impassibilis per intrinsecam qualitatem præservantem illum ab actione caloris in humidum, & sic à morte naturali per marcorem causanda, extinctio humido.

8. Probatur: nam si Adam habuisset qualitatem impediendam actionem caloris in humidum, qua humidum paulatim consumeretur, non indiguisset alimentis, eo pacto, quo corpora gloriosa, quæ habent hanc qualitatem, non indigent alimentis: alimenta siquidem sunt necessaria ad reparandas partes deperditas per actionem caloris in humidum; sed Adam indigebat alimentis, ideoque ut notant graves Theologi, Deus præcepit illi, ut comederet, iuxta illud Gen. 2. *Præcepitque ei dicens: ex omni ligno Paradisi comede: de ligno autem scientia boni, & mali, ne comedas: ergo.*

9. Infertur corpus Adami fuisse ab intrinseco passibile, & alterabile etiam usque ad aliquam partialem transmutationem, & deperditionem aliquarum particularum per actionem caloris in humidum, quæ tamen partes deinde repararentur cibo, & potu. Ideo S. Thomas 1. par. quæst. 97. art. 3. ad 1. docet per actionem caloris aliquid de humido corporis Adæ deperdi potuisse: idemque docent Scotus, & Durandus, & alij communiter in 2. dist. 19. Vide Suarez de opere 6. dierum lib. 3. cap. 14. num. 21.

10. Dicendum secundò: Adam in statu innocentie non fuisset immortalis, & impassibilis per intrinsecam qualitatem impediendam ne posset pati, vel corrumpi ab ulla causa extrinseca, puta ab igne, vel gladio &c. itaut corpus eius esset invulnerabile &c.

11. Probatur primò: nam Adam ex dictis num. 8. non habuit qualitatem intrinsecam, quæ impediret, ne calor vitalis, & internus posset agere in humidum, illudque absumere; ergo non habuit qualitatem intrinsecam, quæ impediret, ne calor extrinsecus, puta calor ignis, posset agere in idem humidum, & intotum corpus Adæ, illudque comburere, si illi applicaretur. Probatur consequentia. Nam actio caloris vitalis, & interni in humidum est eiusdem proportionaliter rationis, ac sit actio caloris extrinseci in idem humidum: ergo si Adam non habuit qualitatem impediendam, ne posset pati à calore vitali, & interno, nec habuit qualitatem impediendam, ne posset pati à calore externo, puta à calore ignis. Sicut ergo si abstinuisset à cibo, consumptus esset per actionem vitalem caloris in humidum, sic si se flammis iniecisset, fuisset ab ipsis consumptus. Ex proportionali ratione non habuit qualitatem intrinsecam, per quam eius corpus esset invulnerabile &c. non habuit qualitatem, per quam licet ambularet super aquas, non mergeretur, vel licet mergeretur, non suffocaretur.

12. Probatur secundò auctoritate S. Augustini, S. Thomæ, & Theologorum. S. Augusti-

nus lib. 1. de Peccatorum meritis, & remis. cap. 3. dicit. *Si Deus Israelitarum vestimentis, & calcamentis præstitit, quod tot annis non sunt obstricta, quid mirum si obedienti homini eiusdem potentia præstaretur, ut animale, ac mortale habens corpus, haberet in eo quendam statum, quo sine defectu esset annosum; sed vestimenta Israelitarum non habebant qualitatem intrinsecam, per quam, etiamsi iniicerentur in ignem, non possent comburi; etiamsi conaretur quis illa ferro dividere, non possent scindi; ergo nec Adam præditus fuisset hac qualitate intrinseca. Confirmatur: nam S. Augustinus sæpè docet, quod corpus Adæ fuit animale, & mortale, corpora autem post resurrectionem erunt spiritualia, & immortalia; sed corpora post resurrectionem erunt spiritualia, & immortalia, quia per qualitatem intrinsecam non poterunt pati, neque à causis extrinsecis, neque ab intrinsecis per actionem caloris in humidum, ideoque non indigebunt cibo, somno &c. ergo corpus Adæ erat mortale, & animale, quia carebat tali qualitate intrinseca, ideoque ex se poterat pati, tum per actionem caloris in humidum, tum à causis extrinsecis.*

13. Sanctus Thomas in 2. dist. 19. quæst. 1. art. 4. loquens de corruptione per violentiam ab extrinseco agente per incisionem gladii, vel adustionem ignis, dicit. *Ab hoc modo corruptionis conservabat hominem illesum divina Providentia; & 1. par. quæst. 97. art. 1. dicit, Adam non fuisse incorruptibilem per intrinsecam dispositionem: & art. 4. dicit, quod corpus Adami fuisset illesum ab extrinseco agente, partim per propriam rationem, per quam poterat nociva vitare, partim per divinam providentiam, qua sic ipsum tuebatur, ut nihil ei occurreret ex improviso, quo laderetur. Eandem sententiam docuerunt communiter Theologi in 2. dist. 19. & inter alios Durandus quæst. 1. Scotus ead. dist. 19. quæst. unica & dist. 29. Gabriel in 2. dist. 19. quæst. 1. quos refert, & sequitur Sua, de opere 6. dierum lib. 3. cap. 14. num. 12.*

14. Infertur, quo genere immortalitatis, incorruptibilitatis, & impassibilitatis Adam esset immortalis, incorruptibilis, & impassibilis. Dicendum, quod licet ab intrinseco esset mortalis, & passibilis, tamen erat immortalis & impassibilis per hoc, quod habebat media, quibus poterat, & tenebatur uti ad nunquam moriendum, patiendum, & senescendum, atque illi promissa fuerat divina assistentia, ne vllum malum pateretur inuitus. Poterat igitur, & debebat opportuno tempore sumere cibum, & potum, ne fames, & sitis ingrueret. Poterat, & debebat opportuno tempore dormire, ne ingrueret molestia somni. Poterat, ac debebat iuxta datam sibi sapientiam vitare noxia, ne ingrueret ægrotudo. Poterat, ac debebat opportuno tempore quiescere, ne ingrueret lassitudo. Poterat, ac debebat opportuno tempore sumere de fructu ligni vitæ, ut repararetur calor naturalis, ac sic non ingrueret senectus. Si autem his medijs ad auerenda mala

mala famis, sitis, senectutis, mortis &c. non vteretur, eo ipso peccaret: ergo nisi peccaret, cariturus erat omnibus his malis, & molestiis. Docet hæc S. Augustinus lib. 14. de Civ. cap. 26. dicens: Cibus aderat, ne esuriret, potus ne sitiret; lignum vitæ, ne illum senectus dissolveret; nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas molestias eius sensibus ingerebat; nullus intrinsecus morbus, nullus idus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas. Sicut in Paradiso nullus æstus, aut frigus, sic in eius habitatore nulla ex cupiditate, vel timore offusio, nihil omnino triste: non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus premebat inuitum. Ac loquens de ligno vitæ, quod præservabat à senectute, & morte, dicit, Lignum vitæ aderat, ne hominem senectus dissolveret. Et iterum: quamdiu in Creatoris lege duravit, dignus fuit edere de arbore vitæ, ut mori non posset. Neque enim corpus tale erat, ut dissolvi esset impossibile, sed fructus arboris vitæ corruptionem corporis inhibebat.

15. Quæres, quodnam esset lignum vitæ, & quo pacto, & qua efficacia immortalitatem largiretur.

16. Ut respondeam, suppono primo ut ex fide certum, Paradisum fuisse locum, quemdam verum, & corporeum arboribus confutum, fluminibus irriguum, ac non solum locum spirituales, & allegoricum, ut docuerunt Philo Iudeus lib. 1. Allegoriarum, ac Valentinus hæreticus apud Irenæum lib. 1. aduersus hæreses cap. 1. & Origenes commentario in Gen. ac ex recentioribus Franciscus Georgius lib. 1. Problematum in illa verba Gen. 2. Plantauerat Dominus Paradisum voluptatis, & in Harmonia mundi, cant. 1. tom. 7. cap. 21. Probatur: nam Scriptura debet intelligi, prout explicatur à Patribus; sed Patres quæ dicuntur de Paradiso intelligunt propriè, ac sententiam Origenis, & aliorum intelligentium solum, allegoricè, refellunt ut erroneam, & cum fide pugnantem: ergo. Probatur minor, afferendo loca Patrum. Epiphanius in epist. ad Ioan. Episcopum Hierosolymitanum dicit, Quis audiat de tertio Cælo donantem nobis Originem Paradisum, & illum, quem Scriptura commemorat ad celestia transferentem, & omnes arbores, quæ scribuntur in Genesi, sic allegoricè intelligentem, quod scilicet arbores Angelicæ fortitudinis sint, cum hoc veritas non recipiat? Hieron. epist. ad Pammachium de erroribus Ioannis Hierosolymitani enumerans errores Origenis, recenset sexto loco, quod sic paradisum allegorizet, ut Historia auferat veritatem, pro arboribus Angelos, pro fluminibus celestes virtutes intelligens, totamque Paradisi continentiam tropologica interpretatione subvertens. Et in comment. cap. 20. Danielis in illa verba Eram iuxta fluvium magnum Tigris, dicit. Vnde eorum deliramenta conticescant, qui umbras, & imagines in veritate quærentes, ipsam conantur evertere veritatem, ut flumina, & arbores, & paradisum putent allegoriæ legibus se debere subtrahere. Chrysost. homil. 13. in Gen. dicit. Idcirco nomen loci inseruit B. Moyses, ut non liceat vagari, volentibus imponere simpliciorum auribus, ac dicere nullum esse

in terra hortum, quem dicunt Paradisum sed in Cælo, & fabulas quasdam huiusmodi somnare. S. August. lib. 13. de Ciuit. cap. 21. Hæc, et si quæ alia commodius dici possunt, de intelligendo spiritualiter Paradiso, nemine prohibente dicantur, dum tamen & illius Historiæ veritas fidelissima rerum gestarum narratione commendata credatur. Vide Bellarm. lib. de Gratia primi hominis cap. 10. Vide etiam quæ cum Sancto Thoma quæst. 102. art. 1. dicemus infra quæst. 276.

17. Suppono secundo cum Suario lib. 3. de opere 6. dier. cap. 15. lignum vitæ fuisse veram arborem sensibilem fructum ad comedendum aptum naturaliter producentem. Suarius docet hoc esse certum ex fide, & oppositum pertinere ad errorem Origenis reiectum. Genes. enim 3. dicitur; Produxitque Dominus Deus omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suauem, lignumque vitæ in medio Paradisi, & lignum scientiæ boni, & mali: sed hæc propriè, ac non solum allegoricè sunt intelligenda: ergo.

18. Suppono tertio ex eodem Suario loco citato num. 2. fructum ligni vitæ habuisse physicam virtutem conferendi homini immortalitatem, ac non solum fuisse signum immortalitatis, quam Deus tribuisset homini, si non peccasset, ut docet Augustinus Eugubinus in cap. 2. Genes. Probatur ex illis verbis Genes. 3. Ne forte mutat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum: et euisit cum Dominus Deus de Paradiso; sed si fructus ligni vitæ fuisset solum signum immortalitatis homini conferendæ, si non peccasset, Adam non fuisset emittendus ex Paradiso, ne comedens euaderet immortalis: siquidem Deus talem immortalitatem promiserat solum non peccanti; ergo.

19. Suppono quarto cum S. Thoma, & Scoto, quos refert, & sequitur Suarius contra Sanctum Bonaventuram, & Gabrielem, virtutem illam ligni vitæ conferendi immortalitatem fuisse naturalem, non supernaturalem. Nam si esset supernaturalis, sicut virtus, qua sacramenta conferunt gratiam, quemadmodum sacramenta non conferunt gratiam nisi dispositis, quibus solis gratia est promissa, sic fructus ligni vitæ non contulisset immortalitatem nisi innocentibus, quibus solis erat promissa; ergo Adam post peccatum non fuisset expellendus ex Paradiso, ne comedens acquireret immortalitatem.

20. His positis, quæritur, quam immortalitatem daturus esset homini innocenti fructus ligni vitæ?

21. Prima sententia S. Augustini, quam secutus est S. Thomas 1. parte quæst. 97. art. 4. & Theologi communiter docet fructum ligni vitæ daturum immortalitatem, impediendo senium. Explicatur. Adam indigebat duobus remedijs ad vitam perpetuo conseruandam contra duos defectus. Primo enim per actionem caloris consumebatur humidum; ergo ad reparandas partes deperditas, indigebat cibo, & potu. Secundo partes, quæ reparantur

cx

ex alimento extrinseco, sunt minoris virtutis, quam quæ accipiuntur à generante: ergo virtus vitalis semper debilitatur, ideoque senescimus, & tandem interimus: ergo Adam, ne debilitata virtute, senesceret, ac tandem interiret, indigebat aliquo remedio reparante, & confortante virtutem vitalem, & hoc remedium erat fructus ligni vitæ, quidum comederatur, reparabat virtutem vitalem, & sic præservabat à senectute, & morte. Ideo S. Augustinus lib. 14. de Ciuit. cap. 26. dicit. *Cibus aderat, ne esuriret, potus, ne sitiret, lignum vitæ, ne illum senectus dissolueret.* Idem docet lib. 6. de Gen. cap. 25. lib. 8. cap. 5. lib. 2. de Peccat. meritis. & remiss. cap. 3. lib. 13. de Ciuit. cap. 20. & alibi.

22. Secunda sententia quorundam veterum Patrum, quam vt probabiliorē sequitur Bellarminus lib. de Gratia primi hominis, cap. 18. docet lignum vitæ habuisse hanc vim, vt vel semel gustatum, perfectam afferret immortalitatem, & incorruptibilitatem, qualem corpora hominum habitura sunt post resurrectionem, & ideo non ante sumendum eius fructū, quā transferendi essent homines de statu gratiæ, in quo poterant non mori, ad statum gloriæ, in quo non possent amplius mori. Tradit hanc sententiam Glossa interlinearis in illa verba Gen. 3. *Ne forte sumat de ligno vitæ &c.* dicens. *Impleto electorum numero, gustaturi erant de ligno vitæ, & sic ad beatum statum migraturi:* & Rupertus lib. 3. in Gen. cap. 30. dicens: *Nequaquam, vt nonnulli arbitrantur, frequentandum erat necessario lignum, tanquam perpetuanda vite transitium medicamentum, sed semel hoc sumpto, viueret corpus in æternum.* Eandem insinuant Theodoretus quæst. 26. in Gen. & S. Ioannes Chrysostomus Homil. 78. in Gen. dicentes, lignum vitæ fuisse positum in medio Paradisi, tanquam præmium obedientiæ: sed præmium obedientiæ non fuisset reparatio caloris, & humidi vitalis, sed perfecta immortalitas: ergo. Rursus Irenæus lib. 3. aduersus hæreses docet Adamum a Deo eiectum ex Paradiso ex misericordia, ne comedens de ligno vitæ, euaderet immortalis in culpis, & pænis, ac dicit. *Eiecit eum de Paradiso, & à ligno vitæ longè transfudit, non inuidens ei lignum vitæ, sed miserans eius, vt non semper perseveraret transgressor, neque immortale quid esset circa eum, & malum interminabile.* Idem docet Hilarius in Comm. Psalmi 68. in illa verba, *quem tu percussisti, persecuti sunt,* dicens: *non pepercerat primo illi de terra limo Adæ, quem de Paradiso post culpam, ne lignum vitæ attingens, in æternitate pæna maneret, eiecit.* Nazianzenus orat. 2. de Pascha loquens de Adamo, ex paradiso eiecto dicit. *Lucratur quippiam, mortem nempe, & peccati abscissionem, ne malum esset immortale, sique pæna misericordia.*

23. Dicendum cum prima sententia, quam etiam sequitur Suarius lib. 3. de opere 6. dierum cap. 5. lignum vitæ dedisset immortalitatem solum per hoc, quod identidem sumptum, impedisset senium, & reparasset ca-

lorem, & humidum vitale.

24. Probatur primo: nam perfecta immortalitas non conuenit corpori animali, quod indiget cibo, & potu, sed corpori spiritali, quod non amplius indiget cibo, & potu, co quod calidum non amplius agat in humidum: sed lignum vitæ non habuisset virtutem mutandi corpus animale in spirituale: ergo non habuisset virtutem dandi homini perfectam immortalitatem. Probatur minor: nam lignum vitæ habebat solum virtutem quandam in genere cibi: sed virtus in genere cibi est solum virtus nutriendi, non autem est virtus mutandi corpus animale in spirituales, & quod non amplius indigeat cibo, & potu: ergo &c.

25. Probatur secundo: nam Adam poterat sumere de ligno vitæ quodcumque vellet, ideoque fuerat illi dictum Gen. *De omni ligno Paradisi comede:* sed non est verisimile, quod Adam cum vellet, posset corpus ex animali mutare in spirituale, quod non indigeret amplius cibo, & potu: ergo.

26. Dices cum Ruperto: *Deus eiciens Adamum de Paradiso dixit: ne forte mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ, et viuat in æternum;* ergo signum est, quod si vel semel casu comedisset de ligno vitæ, adeptus esset immortalitatem.

27. Respondeo, quod ly *forte* in Scripturis non significat dubitationem ex parte Dei, qui de omnibus habet scientiam certissimam, sed solum significat possibilitatem, & libertatem ex parte creaturæ rationalis. Ideo S. Hieronymus in illud Ierem. 26. *Noli subtrahere verbum, si forte audiant,* dicit. *Verbum ambiguum forsitan maiestati Domini non potest conuenire, sed nostro loquitur affectu, vt liberum hominis seruetur arbitrium:* idemque docent Augustinus, Gregorius, Chrysostomus, & Ambrosius apud Vasquez 1. parte disp. 87. cap. 2. Sensus ergo illorum verborum, *Ne forte mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ, & viuat in æternum* est, ne Adam habeat in sua potestate sumere de ligno vitæ, cum voluerit, & sic viuere in æternum, eiciens eum ex Paradiso.

28. Ad auctoritates PP. respondeo Glossam interlinearem, & Rupertum fuisse in eadem sententia, sed multo maioris ponderis esse auctoritatem S. Augustini, & Sancti Thomæ, & Scholasticorum communiter.

29. Ad auctoritates Theodreti, & Chrysostomi, qui dixerunt lignum vitæ fuisse præmium obedientiæ, respondeo, præmium obedientiæ fuisse, vt homines, quando obediunt Deo, possent sumere de ligno vitæ, ad vitam perpetuandam, adeoque post transgressionem in pænam inobedientiæ eiectos esse de Paradiso. & priuatos ea potestate perpetuandi vitam.

30. Ad auctoritates Irenæi, Hilarij, Nazianzeni, & aliorum, qui dixerunt Adamum eiectum ex Paradiso, ne comedens de ligno vitæ, euaderet immortalis in culpis, ac pænis, respon-

respondeo, quod docent tantum, quod Adam post transgressionem, sumendo identidem de ligno vitæ, potuisset fieri immortalis in culpis, & pœnis: ne autem posset sic fieri immortalis in culpis, & pœnis, Deus eiecit illum ex Paradiso.

31. Superest, ut solvamus argumenta initio proposita ad probandum Adamum in statu innocentie fuisse immortalem, & aliquo pacto impassibilem per qualitatem intrinsecam.

32. Ad 1. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Adam ante peccatum debuit habere appetitum sensitivum perfecte subiectum rationi, & carnem perfecte subiectam spiritui, ita ut appetitus, & caro non possent concupiscere aduersus rationem, & spiritum; ergo sicut anima erat perfecte subiecta Deo per gratiam, quæ erat qualitas intrinseca anime, sic appetitus, & caro debebant subijci rationi, ac spiritui per proportionalem qualitatem illis intrinsecam. At Adam ante peccatum, cum adhuc haberet corpus animale, non debebat esse immunis ab actione caloris in humidum, alioquin non eguisset cibo, & potu; ergo non debuit habere qualitatem intrinsecam, quæ impediret actionem caloris in humidum, sed debuit illi providere de cibis extrinsecis, quibus posset reparare partes deperditas per actionem caloris in humidum, & de ligno vitæ, cuius fructus posset reparare calorem, & humidum vitale debilitatum per eandem actionem caloris in humidum, ut explicatum est num. 21.

33. Ad 2. concedo maiorem, & distinguo minorem: omnia dona permanentia solent esse intrinseca subiecto, nego: aliqua, concedo: & nego consequentiam. Aer ad respirandum, lux ad videndum, cibi ad vescendum sunt dona permanentia, & tamen non consistunt in qualitatibus nobis intrinsecis, sed in rebus extrinsecis: ergo etiam immortalitas primi hominis, licet esset donum permanens, poterat consistere non in qualitate, qua esset immortalis ab intrinseco, sed in hoc, quod illi esset prouisum de alimentis, ac de fructibus ligni vitæ, quibus posset esse immunis à senectute, & morte.

34. Ad 3. concedo antecedens, & nego consequentiam. Ideo corpora beatorum, & damnatorum erunt immortalia per qualitatem intrinsecam, quia eorum immortalitas consistet in hoc, quod calidum non aget in humidum, illud absumentum; sed Adam ita fuisse immortalis, ut calidum egisset in humidum, illud absumentum, ideoque indiguisset cibo, & potu; ergo eius immortalitas non debuisset consistere in qualitate, qua esset immortalis ab intrinseco, sed in hoc, quod illi esset prouisum de alimentis, ac de ligno vitæ, ut explicatum est.

35. Ad 4. concedo antecedens, & nego consequentiam. Licet feminæ haberent corpora animata, nihilominus erat illis propor-

tionata qualitas, qua disponderentur ad parandum sine dolore. At corporibus animalibus primorum hominum, & proinde indigentibus cibo, & potu, non fuisset proportionata, & conueniens immortalitas intrinseca, quæ debuisset impedire actionem caloris in humidum, sed sola immortalitas extrinseca consistens in hoc, quod illis esset prouisum de alimentis, ac de ligno vitæ, ut explicatum est.

QVÆSTIO CCLXXII.

Verum, & quo pacto in statu innocentie fuisset generatio?

S. Th. quæst. 98. art. 1. et 2.

1. **V**idetur, quod non fuisset, primo quia ubi non est corruptio, nec est generatio: sed in statu innocentie non fuisset corruptio, & mors, sed homines in perpetuum absque morte vixissent, ut dictum est quæst. 269. ergo. Probatur maior, tum quia ut dicitur 5. Physic. text. 51. & 8. Physic. text. 62. generatio, & corruptio sunt circa idem; tum quia generatio ordinatur ad conseruandas species corruptibiles secundum indiuidua, ideoque indiuidua incorruptibilia, & perpetua, puta Angeli, Sol, Luna &c. non generant sibi simile: ergo homines in statu innocentie, cum non mouerentur, sed in perpetuum durarent, non generassent alios homines.

2. Secundo ut dicit Isidor. lib. 5. Etymolog. de iure naturæ omnia sunt communia, ideoque in statu innocentie non fuisset diuisio possessionum; sed si in eo statu per generationem multiplicata fuissent indiuidua, ad vitandam confusionem debuisset fieri diuisio possessionum: ergo &c.

3. Tertio videtur, quod in statu innocentie generatio non fuisset facta per coniunctionem maris cum femina, per quam corrumpitur virginalis integritas, sed alio quodammodo, illæsa integritate virginali, ut asserit Damasc. lib. 2. c. 11. dicens, quod primus homo erat in Paradiso terrestri, sicut Angelus quidam; sed post ultimam resurrectionem, quando homines erunt sicut Angeli Dei non nubent, neque nubentur, ut dicitur Matth. 22. ergo. Confirmatur: nam de facto Adam, & Heua licet creati fuerint in ætate perfecta, non fuerunt carnaliter coniuncti, ut colligitur ex Scriptura, ex qua Gen. 4. habetur, quod post peccatum Adam cognouit Heuam.

4. Quarto per carnalem coniunctionem homines efficiuntur similes bestiis, ideoque laudatur continentia abstinens à carnali coniunctione; sed homo solum post peccatum effectus est similis bestiis, iuxta illud psalm. 48. homo cum in honore esset non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis: ergo.

FFFF

5. Re-

3. Respondeo, quod Sanctus Thomas postquam quæst. 97. egit de iis, quæ in statu innocentiae spectarent ad conseruationem indiuidui, quæst. 98. disputat de iis, quæ spectarent ad conseruationem speciei: & quia generatio animalium, & plantarum ordinatur ad species conseruandas per multiplicationem indiuiduorum, disputat de generatione, per quam homines multiplicarentur.

6. Articulo igitur primo quærit, vtrum in statu innocentiae fuisset generatio, per quam homines multiplicarentur?

Respondet affirmatiuè. Probat primo: nam multiplicatio hominum, qui secundum animam sunt immortales, & capaces felicitatis, est maximum bonum etiam naturale: sed si generatio non fuisset, nisi Adam peccasset, peccatum fuisset quodammodo necessarium ad tantum bonum naturale: ergo &c.

7. Probat secundo. Natura enim per se intendit solum id, quod est perpetuum, & durat semper, temporale autem non intendit per se, sed propter perpetua: sed in rebus corruptibilibus sola species sunt perpetuae, indiuidua autem sunt temporalia: in rebus autem incorruptibilibus etiam indiuidua sunt perpetua: ergo natura in rebus corruptibilibus intendit solas species, generationem autem, per quam multiplicantur indiuidua, intendit solum propter conseruationem specierum: in substantiis autem incorruptibilibus ipsa indiuidua intendit propter se: sed homo naturaliter quoad corpus est corruptibilis, quoad animam est incorruptibilis, & perpetuus: ergo natura, & Deus auctor naturæ multiplicationem corporum per generationem intendit propter speciem corporum, multiplicationem autem animarum natura, vel Deus, qui solus est animalium humanarum creator, intendit propter se, ac proinde in hominibus naturaliter debuit dari generatio, & tanto bono naturali multiplicationis hominum natura humana in statu innocentiae carere non debuit. Ideo Deus Gen. 1. primis hominibus ante peccatum dixit: *Crescite, et multiplicamini, ac replete terram*, ac proinde dedit virtutem generandi, qua homines multiplicantur.

8. Articulo secundo quærit, vtrum in statu innocentiae generatio hominum facta fuisset per coniunctionem maris cum foemina.

Respondet, quod quia in statu naturæ lapsæ in coniunctione maris cum foemina datur fœditas, & turpitudine concupiscentiæ, ideo quidam antiqui doctores docuerunt, quod in statu innocentiae, cui videtur repugnare talis fœditas, non fuisset generatio per coitum, sed homines multiplicati fuissent alia quadam ratione per operationem diuinæ virtutis. Docuerunt hanc sententiam ex Græcis Gregorius Nyssenus lib. de Opificio hominis, cap. 17. dicens, quod in paradiso aliter multiplicatum fuisset genus humanum,

sicut multiplicati sunt Angeli absque concupiscentia per operationem diuinæ virtutis, Chrysostomus homil. 18. in Genesi circa initium cap. 4. & lib. de Virginitate, cap. 17. Damascenus lib. 2. de fide cap. 30. & lib. 4. cap. 25. Euthymius in psalm. 50. Procopius Genesi 4. & alij, & latius eidem opinioni videntur fauere Augustinus, & Hieronymus. Augustinus enim lib. 1. in Genesi contra Manichæos cap. 19. tractans illa verba, *Crescite, et multiplicamini*, dicit. *Licet nobis ea ita spiritualiter accipere, ut in carnalem fecunditatem post peccatum conuersa esse credatur.* Hieronymus autem epist. 22. ad Eustochium de custodia virginitatis, & lib. 1. contra Iovinianum parum post medium indicat vsum coniugij per peccatum fuisse introductum, ac non futurum fuisse in paradiso.

9. Contra hanc sententiam Magister in 2. dist. 20. & Sanctus Thomas 1. parte quæst. 98. artic. 1. docent etiam in paradiso in statu innocentiae homines propagandos per generationem naturalem ex coniunctione maris cum foemina, sed sine morbo, & fœditate, & inordinatione concupiscentiæ, quæ inordinatio impediretur per iustitiam originalem, qua appetitus sensitivus perfecte subijceretur rationi, ut dictum est quæstione 160. Oppositum tanquam hæresim Armenorum, & Almerici damnat Castro verbo *Adam hæresi 13.* ex Guidone Carmelita, & Bernardo de Lutzemburgo. Augustinus autem lib. de hæresibus hæresi 3. opinionem illam tribuit Adamianis.

10. Probat primo ex Scriptura. Primo enim ut habetur Genesi 1. & 2. *Deus masculum, et foeminam creauit eos*, hoc est primos homines: sed distinctio sexuum in homine, sicut in alijs animalibus ordinatur ad generationem naturalem per coniunctionem maris cum foemina: ergo Deus creauit primos homines cum distinctione sexuum ad hunc finem, ut homines propagarentur per talem generationem, ac cum illis in statu innocentiae dixit, *Crescite, et multiplicamini*, hoc præcepit. Secundo Genesi 2. Deus dixit: *Non est bonum hominem esse solum. Faciamus ei adiutorium simile sibi*; sed homo solum ad generationem per coitum indiget adiutorio diuersi sexus, ad alia enim melius vir adiuuatur à viro, quam à foemina: ergo Deus virum etiam in statu innocentiae voluit habere mulierem in adiutorium ad generandum per coitum. Tercio Adam, formata Heua, diuinitus illuminatus dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo Patrem, et Matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne vna*; sed illa vnitas in carne vna fit inchoatiue per vinculum matrimonij, & consummantiue per copulam: ergo Adam prius quam de suo peccato futuro cogitaret, intellexit sibi datam fuisse mulierem in adiutorium, ut per copulam maritalem fieret vna caro, ac durante statu innocentiae, legem con-

conubij sancti seruasset ad filios generandos. Minor probatur. Nam vt docet Alexander 3. in cap. 2. de conuersione coniugatorum, donec coniuges matrimonium consummant, non sunt una caro: idemque asserit Benedictus Papa in cap. lex diuina 27. quæst. 2. & in Concilio Lateranensi parte 6. cap. 27. Alexander Tertius postquam verba Adami retulit, subdit: *Quibus verbis innotuit non aliter virum, et mulierem posse fieri vnâ carnem, nisi carnali copula sibi cohererent, & hæc doctrina sumitur ex Apostolo, qui 1. ad Corinth. 6. dicit. Qui adheret meretrici vnum corpus efficitur: erunt enim, inquit, duo in carne vna.*

11. Probatur secundo ex S. Augustino lib. 9. de Genes. ad litt. cap. 3. & sequentibus. Nam inter alia dicit. *Non video, quid prohibere potuerit, vt essent hominibus etiam in paradiso honorabiles nuptiæ, et thorus immaculatus, hoc Deo prestante fideliter, iustèque viuentibus, vt sine villo inquieto ardore libidinis, sine villo labore, doloreque parienti, fetus eorum semine nasceretur.* Lib. autem 1. Retractat. cap. 1. emendat quod lib. 1. de Gen. contra Manichæum dixerat, & relatum est à nobis num. 8. & capit. 13. corrigit quod dixerat lib. de vera Religione, cap. 26. nimirum, quod si natura nostra in illa integritate permanisset, non fuissent futura necessitudines consanguinitatum, affinitatum, et cognationum. Nam re vera essent futura, cum futura essent coniugia, & filiorum generationes. Idem docent Gregorius in psal. 5. Pœnitent. ad illa verba: *Scribantur hæc in generatione altera,* Beda, Rupertus, & Abulensis in Genes. Videri potest Suarius lib. 3. de opere sex dierum, cap. 9. ex quo plura ex his desumpta sunt.

12. Probatur tertio ratione. Nam membra homini naturalia, eorumque naturalis vsus fuerunt homini data ab initio ante peccatum, ac deinde non sunt per peccatum ablata, vt constat inductione. Nam quia oculi, aures, pedes, manus, eorumque vsus sunt homini naturalia, fuerunt primis parentibus data ante peccatum, & non sunt homini per peccatum ablata. Ideo Adam conditus fuit cum oculis, vt ijs vteretur ad videndum, cum auribus, vt ijs vteretur ad audiendum, cum pedibus, vt ijs vteretur ad ambulandum: sed homini, in quantum est animal perfectum, naturalia sunt membra generationi deseruientia, & naturale est, vt generet per coniunctionem maris cum foemina: ergo primis hominibus ab initio ante peccatum data sunt membra generationi deseruientia, vt ijs vteretur ad generandum per coniunctionem maris cum foemina. Probatur minor: nam cum ad generandum requiratur virtus actiua, & passiua, in animalibus perfectis virtus actiua naturaliter est in mare, virtus passiua in foemina, & ad hoc, vt naturaliter generent, debent istæ virtutes coniungi; sed homo est animal perfectum: ergo.

13. Aduertit Sanctus Thomas, quod circa

coitum in præsentis statu naturæ lapsæ duo sunt consideranda. Primum est ipsa coniunctio maris cum foemina ad prolem generandam, quæ coniunctio est naturalis, ac proinde dari debuisset etiam in statu naturæ integræ. Secundum est deformitas immoderata concupiscentiæ, quæ deformitas non dabatur in statu innocentie, ac naturæ integræ, in quo inferiores vires omnino rationi subdebantur per donum iustitiæ originalis, vt dictum est quæstione 259. & 260. ideoque S. Augustinus lib. 14. de Ciuit. cap. 26. dicit: *In tanta facilitate rerum, et felicitate hominum; absit, vt suspicemur non potuisse prolem fieri sine libidinis morbo: sed eo voluntatis nutu mouerentur ea membra, quo cetera, et sine ardoris illecebrosi stimulo, cum tranquillitate animi, et corporis, nulla corruptione integritatis infunderetur gremio maritus uxoris.*

14. Sed hinc oritur dubium, de quo agit Suarius lib. 5. de Opere sex dierum, cap. 2. & quæritur, vtrum in statu innocentie, ac naturæ integræ vera virginitas cum fecunditate matrimonij fuisset coniuncta.

Respondeo ex dictis colligi, quod in eo statu cum fecunditate matrimonij non fuisset coniuncta virginitas corporalis talis, qualem habuit Beata Virgo in conceptione, & in partu Christi. Probatur: nam Beata Virgo concepit absque contactu, semine, & opera viri: peperit sine vlla fractione sigilli, aut vteri aperitione, Christo infante per penetrationem, ad modum purissimæ lucis egresso, eo ferè pacto, quo radius solaris ingreditur, & egreditur purissimam chrySTALLUM: sed in statu innocentie foemina non concepisset sine contactu, opera, & semine virili, nec peperisset sine vteri aperitione, sed concepisset modo naturali, vt dictum est: ergo &c.

15. Si verò quærat, vtrum in statu innocentie cum fecunditate matrimonij coniuncta fuisset aliqua alia inferior, sed vera virginitas: Respondet ex Augustino Sanctus Thomas hoc ar. 2. quæst. 98. in respons. ad 4. *Dicendum, quod sicut Augustinus dicit 14. de Ciuit. cap. 26. in illo statu nulla corruptione integritatis infunderetur gremio maritus uxoris. Ita enim potuit vtero coniugis, salua integritate foeminei genitalis, virile semen immitti, sicuti nunc potest, eadem integritate salua, ex vtero virginis fluxus menstrui cruor emitti. Vt enim ad parientum non doloris gemitus, sed naturalis impulsus foemineæ viscera relaxaret, sic ad concipiendum non libidinis appetitus, sed voluntarius vsus naturam vtramque coniungeret. Hæc in experientia turbida libidinis, vt eam vocat Augustinus loco citato, & conseruatio integritatis in conceptione, ac partu, de qua cum eodem Augustino loquitur Sanctus Thomas, vocari potest virginitas quædam, sed imperfecta, ac deficiens ab absoluta, & perfecta virginitate Beatæ Virginis, de qua actum est num. 14. Sed hæc sufficit indicasse. Vt enim subdit S. Augustinus post verba citata: *De rebus loquimur nunc pudendis, & ideo quamuis antequam eorum puderet, quales esse potius sent,**

sent, concipiamus, ut possumus, tamen necesse est, ut nostra disputatio magis frenetur ea, quae nos reuocat, verecundia, quam eloquentia, quae nobis parum superpetit, adiunetur. Videri potest Suarius lib. 5. de Opere sex dierum, cap. 2. ubi etiam refert opiniones auctorum.

16. Ad 1. distinguo maiorem: ubi non est corruptio, nec potest esse naturaliter, non est generatio corporalis, concedo: ubi non est corruptio, quia impeditur per donum gratuitum, sed potest naturaliter esse, non est generatio, nego maiorem: distinguo eodem pacto minorem: & nego consequentiam. Entia naturaliter corruptibilia debent esse naturaliter generabilia, ut per generationem conseruetur species: sed homo naturaliter est corruptibilis, & mortalis: ergo debet habere virtutem generatiuam, sicut hanc virtutem habent alia animalia perfecta: ergo licet in statu innocentiae anima per donum supernaturale corpus praeseruasset à morte, & corruptione, non debuisset impediri naturalis generatio, qua multiplicantur indiuidua humana, quorum multiplicatio propter animam immortalē, & aeternā à parte post per se intenditur à natura, & à Deo, ut dictum est n. 7.

17. Ad 2. nego minorem. Ideo in statu praesenti naturae lapsae, multiplicatis hominibus, debent diuidi possessiones, quia communitas possessionum posset esse occasio discordiae, & confusions, ut docet Aristoteles lib. 2. Polit. cap. 3. sed in statu innocentiae, naturae integrae per donum iustitiae originalis voluntates hominum fuissent sic ordinatae, quod absque omni periculo discordiae communiter visi fuissent, secundum quod unicuique competeret, rebus, quae eorum dominio subdebantur, cum hoc etiam apud multos bonos viros obseruetur, ut loquitur Sanctus Thomas hoc art. 1. quaest. 98. ad 3. ergo in statu innocentiae non debuisset fieri diuisio possessionum.

18. Ad 3. distinguo maiorem: homo in paradiso terrestri erat sicut quidam Angelus quoad mentem, concedo: quoad corpus, ita ut haberet corpus, quod Apostolus vocat spirituale propter aures corporis gloriosi, nego maiorem: concedo minorem: & nego consequentiam. Ex doctrina Apostoli 1. ad Corinth. 15. Adam in prima creatione accepit corpus animale, ac carens dotibus corporis gloriosi: Sancti autem in vltima resurrectione accipient corpora spiritalia, non quidem substantialiter, sed per qualitates corporum gloriosorum ad similitudinem corporis, quod Christus accepit in resurrectione. Quia ergo homines in statu innocentiae, ac naturae integre, antequam obtinerent vltimam beatitudinem consistentem in visione Dei, habuissent corpora animalia, exercuissent operationes animales manducandi, bibendi, se nutriendi, generandi &c. At in resurrectione accipient corpora spiritalia in sensu explicato, ideoque non manducabunt, neque bibent,

non nubent, neque nubentur, sed etiam quoad corpora erunt sicut Angeli Dei. Ad confirmationem, respondet Sanctus Thomas hoc art. 2. quaest. 98. ad 2. quod sicut Augustinus dicit lib. 9. super Gen. ad litteram cap. 4. ideo primi parentes in paradiso non coierunt, quia formata muliere, post modicum propter peccatum de paradiso eiecti sunt. Ex hoc autem non sequitur, quod si non peccassent, & in paradiso mansissent, non coissent ad filios generandos.

Ad 4. desumptum ex eo, quod per coitum homo efficiatur similis bestiis, ideoque laudatur continentia abstinens à coitu, dedecerebat autem statum naturae integre, ut homo efficeretur similis bestiis. Respondeo verbis Sancti Thomae hoc art. 2. ad 3. quae verba optime rem hanc explicant. Dicendum, quod bestiae careant ratione: unde secundum hoc homo in coitu bestialis efficitur, quia delectationem coitus, & feruorem concupiscentiae ratione moderari non potest. Sed in statu innocentiae nihil huiusmodi fuisset, quod ratione non moderaretur, non quia esset minor delectatio secundum sensum, ut quidam dicunt (fuisset enim tanto maior delectatio sensibilis, quanto esset purior natura, & corpus magis sensibile, sed quia vis concupiscentialis non ita inordinate se exultisset super huiusmodi delectatione regulata per rationem, ad quam non pertinet, ut sit minor delectatio in sensu, sed ut vis concupiscentialis non immoderate delectationi inhaereat, & dico, immoderate propter mensuram rationis: fortasse legendum non propter, sed praeter: sicut sobrius in cibo moderate assumpto non minorem habet delectationem, quam gulosus, sed minus eius concupiscentialis super huiusmodi delectatione requiescit. Et hoc sonant verba Augustini, quae à statu innocentiae non excludunt magnitudinem delectationis, sed ardorem libidinis, & inquietudinem animi. Et ideo continentia in statu innocentiae non fuisset laudabilis, quia in tempore isto laudatur, non propter defectum fecunditatis, sed propter remotiorem inordinate libidinis: tunc autem fuisset fecunditas absque libidine. Addi potest, quod in hoc statu naturae lapsae homo in coitu bestialis efficitur, quia delectatio sensibilis perturbat, & valde impedit usum rationis, per quam homo differt à bestiis: sed in statu naturae integre delectatio sensibilis non turbaret, neque impediret usum rationis: ergo in statu naturae integre homo per coitum non efficeretur bestialis.

QUESTIO CCLXXIII.

Utrum pueri in statu innocentiae statim ac nati fuissent, habuissent perfectam virtutem, ad motum membrorum? & utrum in illo statu generati fuissent non solum mares, sed etiam feminae?

S. Thom. quaest. 99. art. 1. & 2.

1. **V**idetur, quod pueri in statu innocentiae statim ac nati fuissent, habuissent per

perfectam virtutem ad motum membrorum: primo quia pueri statim habuissent perfectum usum rationis, vt colligitur ex pluribus locis Augustini: ergo pueri statim habuissent perfectum usum membrorum, & perfectam virtutem mouendi membra, ambulando &c. Probatur consequentia. Nam vt docet idem Augustinus lib. 1. de Peccat. meritis, & remiss. cap. 38. in pueris infirmitas mentis congruit hæc infirmitas corporis: ergo sicut in pueris nulla fuisset infirmitas mentis impediens usum rationis, & discursum, sic nulla fuisset infirmitas corporis impediens usum membrorum, & motum localem. Confirmatur: nam eodem lib. cap. 27. loquens de pueris dicit: *tanta carnis infirmitas nescio quid, quantum arbitror, penale demonstrat*; sed pueri in statu innocentie nihil paterentur penale: ergo non paterentur infirmitatem, & imbecillitatem impediens motum localem membrorum.

2. Secundo quædam animalia naturaliter statim ac nascuntur, habent virtutem sufficientem ad usum, & motum localem membrorum: ergo etiam homo: sed homo in statu innocentie non caruit hoc naturali, quo in statu nature lapsæ priuatus est in poenam peccati: ergo &c.

3. Tercio in hominibus ante peccatum, non fuisset dolor, aut afflictio, vt sæpè docet Augustinus; sed si caruissent virtute se mouendi ad aliquod delectabile illis propositum, cum non potuissent illud acquirere, naturaliter de hoc doluissent: ergo.

4. Quarto homines in statu innocentie non passi fuissent defectus senectutis: ergo neque defectus pueritiæ. Eadem enim est ratio.

5. Quinto videtur, quod homines in statu innocentie generassent tantum mares, non autem feminas. Ex Aristotele enim lib. 2. de Generat. animalium cap. 3. & lib. 10. cap. 2. & 3. *Famina quasi mas læsus est*, & est quasi præter intentionem nature: sed in statu innocentie nullum generatum fuisset indiuiduum humanum læsum, & præter intentionem nature: ergo.

6. Sexto omne generans, & actiuum per se, & nisi impediatur propter defectum virtutis, vel indispositionem materie, generat sibi simile: sed virtus actiua ad generandum saltem principaliter est in solo mare: in statu autem innocentie nunquam homo impediretur à defectu virtutis actiue, neque ab indispositione materie: ergo semper generarentur mares, nunquam feminæ.

7. Septimo. In statu innocentie Adam, & Heua fuissent immunes à morte, ac proinde semper vixissent, ac potuissent semper generare filios, ac multiplicare genus humanum: sed feminæ sunt solum necessariae ad multiplicationem generis humani: ergo in statu innocentie non fuisset necessarium, vt generarentur feminæ.

8. Respondeo, quod Sanctus Thomas

postquam quæst. 98. egit de generatione filiorum in statu innocentie, & de modo generationis, tribus quæstionibus sequentibus agit de conditione prolis generandæ, & quæst. 99. agit de conditione prolis generandæ quantum ad corpus, & ad distinctionem sexus: quæst. 100. de conditione prolis quantum ad iustitiam originalem: quæst. 101. de conditione prolis, quantum ad scientiam.

9. Articulo igitur primo quæst. 99. quaerit, vtrum pueri statim ac nati fuissent, habuissent perfectam virtutem ad motum membrorum, ita vt statim possent ambulare, & alios motus membrorum expedite exercere. 10. Respondet negatiue. Probat primo in argumento *sed contra*. Nam quod naturaliter generatur, & nascitur ex vtero matris, sicut nascitur in quantitate, & statura parua, & imperfecta, & deinde paulatim crescit, & augetur, donec perueniat ad perfectam quantitatem, & staturam, sic nascitur cum virtute præsertim motiua imperfecta, & paulatim acquirit perfectam virtutem motiuam: sed ex dictis quæstione superiori 272. pueri in statu innocentie naturaliter fuissent generati, & nati ex vtero matrum: ergo.

11. Probat secundo, & simul explicat, & confirmat fundamentum allatum. Nam quandoquid quæ sunt supra naturam, sola fide, ac diuina auctoritate tenemus, de omnibus philosophari debemus iuxta naturas rerum, nec debemus quidquam supra naturam asserere, nisi fundati in diuina auctoritate: sed naturale est, vt pueri recentè nati non habeant sufficientem virtutem mouendi expedite membra, ambulando, & plures alios motus exercendo: ex auctoritate autem diuina infertur solum, quod habuissent sufficientem virtutem ad exercendos motus pueriles, non autem ad exercendos motus conuenientes hominibus maioris ætatis: ergo. Probatur prima pars minoris. Vt enim aduertit Aristoteles lib. 2. de partibus animalium, cap. 4. & 7. homo habet cerebrum proportionaliter maius, quam cetera animalia: ergo quia cerebrum est humidissimum, pueri recentè nati naturaliter sunt humidiores alijs animalibus recentè natis: sed ex hac summa humiditate cerebri, nervi, qui sunt instrumenta motus non sunt idonei ad membra mouenda, ambulando, & quosdam alios motus exercendo: ergo pueri recentè nati naturaliter non habent perfectam virtutem se mouendi. Probatur iam secunda pars minoris, quod nimirum ex auctoritate diuina colligatur solum, quod in statu innocentie pueri habuissent quidem sufficientem virtutem ad exercendos motus pueriles, non autem ad exercendos motus conuenientes hominibus maioris ætatis. Nam constat ex Scripturis, quod *fecerit Deus hominem rectum*, vt dicitur Ecclesiast. 7. sed vt docet Augustinus lib. de natura, & gratia, cap. 15. & lib. de correptione, & gratia, cap. 11. talis rectitudo consistit in perfecta subiectione

atione corporis ad animam: ergo in statu innocentiae membra non poterant repugnare animae, & ordinatae hominis voluntati, ac voluntas hominis in statu innocentiae non poterat non esse ordinata: sed voluntas hominis, ut esset ordinata, debebat velle motus corporis homini conuenientes secundum quamlibet aetatem, ac aetati puerili solum erant conuenientes motus pueriles, puta ad iugendum vbera: ergo pueri solum potuissent velle motus pueriles, & ad illos tantum habuissent sufficientem virtutem, non autem ad motus conuenientes maiori aetati, quos in statu innocentiae ordinata voluntate non potuissent velle. Verum ut loquitur Sanctus Thomas hoc ipso art. 1. quaest. 99. *Nulli catholico dubium est, quin diuina virtute fieri possit, ut mox nati perfectam virtutem habeant ad motum membrorum.* Sed hic non quaerimus, quid Deus supernaturaliter facere potuisset, sed quid naturaliter fecisset.

12. Infertur cum Suario lib. 5. de Operibus sex dierum cap. 5. quod in statu innocentiae proles semper fuisset generata cum corpore omnibus suis partibus, & membris constante, cum omnibus facultatibus, & sensibus externis, & cum debita membrorum proportionem, ac dispositionem, colore, figura, ac pulchritudine corporali, quae inde confurgit, ut docet Sanctus Thomas 1. par. quaest. 96. art. 3. & hac quaest. 99. art. 1. ad 1. alique communiter. Colligitur ex Augustino, qui pluribus locis, ac praesertim lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione, cap. 37. & 38. docet nullam pœnalem imperfectionem futuram fuisse in hominibus generatis in statu innocentiae: sed defectus debita integritatis per cœcitatem, surditatem, carentiam membrorum sunt defectus pœnales, ac proculdubio dedecere illud statum: ergo.

13. Articulo secundo quaerit, vtrum in statu innocentiae non solum generati fuissent mares, sed etiam feminae?

Respondet affirmatiue, ac sanctum Thomam sequuntur omnes Theologi in 1. dist. 20. Probat primo in argumento *sed contra*. Ut enim dicitur Genes. 1. & 2. *Deus masculum, & feminam creauit eos*, hoc est primos parentes: sed per generationem propagati naturaliter fuissent, sicut creati fuerant à Deo ideoque videmus, quod cœtera animalia creata à Deo secundum vtrumque sexum, propagantur secundum vtrumque sexum: ergo. Probat secundo. Nam in statu innocentiae homines propagari debuissent secundum omnia, quae pertinent ad complementum naturae humanae: sed sicut ad perfectionem vniuersi pertinet, ut dentur diuersi gradus rerum, sic ad perfectionem, & complementum naturae humanae pertinet, ut detur vterque sexus: ergo.

Hinc rejicitur error Almarici, qui ut referunt Alfonso de Castro, verbo *Adam* hæresi 1. Præcolus verbo *Almaricus*, Turrecremata lib. 4. summa, cap. 35. ex iisque Suarius

lib. 5. de opere sex dierum, cap. 3. num. 3. docuit in statu innocentiae non futuram fuisse sexuum diuersitatem. Videtur igitur sensisse Heuam non fuisse creatam ante peccatum, vel non fuisse creatam distincti sexus ab Adamo. Vtrumque repugnat Scripturæ, ex qua Gen. 2. & 3. constat Heuam fuisse creatam ante peccatum, imò peccasse ante Adamum, illique fuisse causam peccandi. Constat rursum Heuam creatam fuisse diuersi sexus ab Adamo: siquidem Gen. 1. dicitur, quod Deus *masculum, & feminam creauit eos*, primos scilicet parentes, & Christus Matth. 19. dicit. *Qui fecit hominem ab initio, masculum, & feminam creauit eos.*

14. Ad 1. nego antecedens. Ut enim cum Sancto Thoma quaest. 101. artic. 2. dicimus quaest. 275. in statu innocentiae pueri non statim, ac nati fuissent, habuissent perfectum vsum rationis: ergo nec habuissent perfectum vsum membrorum, nec perfectam virtutem mouendi membra. Augustinus dicens, quod in pueris tanta carnis infirmitas nescio quid pœnale demonstrat, loquitur de infirmitate, qua nec possunt exercere motus puerili aetati conuenientes, & qua corpus repugnat voluntati etiam ordinatae animae. Talis enim infirmitas non fuisset in statu innocentiae, ut dictum est num. 9.

15. Ad 2. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Quadam animalia statim, ac nata sunt, habent virtutem sufficientem mouendi membra, non ex eorum nobilitate, (siquidem alia animalia ipsis perfectiora carent tali virtute) sed ex cerebri siccitate, & quia ad eorum motus ut potè imperfectos parua virtus motiua sufficit: sed homo debet habere cerebrum amplissimum, & humidissimum, ac mouetur motibus valde perfectis, cum incedat rectus, & manus moueat artificiose, ad quos motus requiritur magna virtus: ergo non est mirum, quod statim, ac natus est, non habeat naturaliter virtutem ad tales motus exercendos.

16. Ad 3. concedo maiorem, & nego minorem. Sicut adulti, sic etiam pueri in statu innocentiae non potuissent quidquam appetere, nisi voluntate ordinata: sed illa, quae appeterent voluntate ordinata, potuissent consequi: ergo non dolerent de carentia vilius boni delectabilis, quod appeterent.

17. Ad 4. concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, quia homines in statu innocentiae fuissent generati, ac proinde subiecti fuissent aliquibus defectibus naturalibus pueritiae, qui sequuntur ex generatione: at non fuissent corrupti, ac mortui: ergo sicut per lignum vitae praeseruati fuissent à corruptione, & morte, sic praeseruati fuissent à defectibus senectutis, qui disponunt ad corruptionem, & mortem, ut dictum est quaest. 271.

18. Ad 5. distingo maiorem: femina est quasi *mas laesus*, & quasi præter intentionem

nam naturæ particularis, concedo: quasi præter intentionem naturæ vniuersalis, ac Dei, nego maiorem: distinguo eodem pacto minorem: & nego consequentiam. Vt cum Sancto Thoma quæst. 92. art. 1. ad 1. diximus quæst. 252. num. 3. femina est quasi præter intentionem naturæ particularis, sed iuxta primariam intentionem naturæ vniuersalis, ac Dei, qui primo, & per se intendit tum marem, tum feminam, cum uterque sexus sit necessarius ad generationem: sed in statu innocentie debuerunt dari omnia, quæ per se intenduntur à Deo, & à natura vniuersali: ergo in statu innocentie debuit dari, ac generari non solum mas, sed etiam femina. Ad do, quod femina est veluti *mas latus*, non quia careat aliqua perfectione debita naturæ humanæ in quolibet indiuiduo, sed quia, cum sit minus perfecta, quam mas, caret aliqua perfectione maris, cum ad perfectionem speciei humanæ requiratur inæqualitas sexus, per quam mas sit perfectior femina.

19. Ad 6. Femina non solum generatur propter defectum virtutis in agente, vel propter indispositionem materiæ, sed etiam propter aliquod accidens extrinsecum, ideoque Aristoteles lib. 4. de Generatione animalium, cap. 2. docet, quod ventus septentrionalis coadiuuat ad generationem masculorum, ventus autem australis ad generationem feminarum: ergo licet in statu innocentie non fuisset defectus virtutis in agente, nec indispositio materiæ, femina potuissent generari propter aliquod accidens extrinsecum. Si verò quærratur, quodnam accidens extrinsecum in statu innocentie determinaret generationem maris, aut feminæ, respondet Sanctus Thomas hoc art. 2. quæst. 99. ad 2. quod quandoquidem corpus erat perfectè subiectum, & patens animæ, parentes per suam voluntatem ordinatam se determinarent ad generandum aliquando marem, aliquando feminam, prout fuisset expediens propagationi naturæ humanæ. Hinc inferri potest cum Suario lib. 5. de Opere sex dierum, cap. 3. num. 2. quod non solum omnes viri, & feminae fuissent fecundi, sed etiam per omnes, & singulos actus coeundi generassent prolem. Cum enim in illis non fuisset defectus virtutis, & ordinata voluntate nunquam coissent, nisi animo generandi, semper generassent prolem. Inferitur rursus, quod ut docet Sanctus Thomas hoc eodem art. 2. quæst. 99. in resp. ad 3. in statu innocentie *tot fuissent generatee feminae, quot & mares*. Ratio est, quia cum vnusquisque masculus deberet posse ducere uxorem, tot deberent esse masculi, quot feminae, ac proinde quilibet coniuges voluntate ordinata deberent velle tot generare masculos, quot feminas. Idem docent alij Theologi communiter, ac præsertim Sanctus Bonaventura in 2. dist. 20. quæst. 6. Richardus eadem dist. art. 2. quæst. 1. Ægidius ibidem, quæst. 2. art. 1. & Aureolus art. 2.

quos refert, & sequitur Suarius lib. 5. de Opere sex dierum, cap. 3. num. 14. & sequentibus.

20. Ad 7. distinguo maiorem: in statu innocentie homines semper vixissent vita animali, ac propria viæ, nego: vita spirituali, ac propria termini, concedo maiorem: transeat minor: & nego consequentiam. In statu innocentie non semper homines vixissent vita animali, qua manducarent, biberent, & nutrireantur, generarent &c. sed post aliquod longum tempus corpora eorum per qualitates corporis gloriosi fierent spiritalia, vt ex doctrina Apostoli 1. ad Corinthios 15. diximus quæst. 272. num. 7. ergo postquam primi parentes desuissent viuere vitam animalem, deberent remanere mares, & feminae, qui propagarent genus humanum. Ad do, quod sicut non solum primi parentes, sed etiam eorum filij deberent exercere operationes animales manducandi bibendi, ac se nutriendi, sic deberent exercere operationes animales generandi.

QVÆSTIO CCLXXIV.

Verum in statu innocentie homines fuissent generati in statu gratiæ, & iustitiæ originalis, in eaque confirmati?

S. Thomas quæst. 100. art. 1. & 2.

1. **E**X vna parte videtur, quod homines in statu innocentie non fuissent generati cum iustitia originali; primo quia gratia, & iustitia est in anima: sed anima rationalis non est ex traduce, hoc est non traducitur ex vno homine in alium: ergo neque gratia, & iustitia traducitur ex vno homine in alium, præsertim quia si iustitia sic transfunderetur, esset naturalis, cum ex Apostolo ad Rom. 6. iustitia non sit naturalis, sed sit per gratiam.

2. Secundo Hugo de Sancto Victore lib. 2. de Sacram. parte 6. dicit, quod primus homo ante peccatum generaret quidem filios absque peccato, sed non paternæ iustitiæ hæredes: sed si generarentur cum iustitia originali, generarentur paternæ iustitiæ hæredes: ergo.

3. Tercio ex alia parte videtur, quod pueri in statu innocentie non solum fuissent generati cum gratia, & iustitia originali, sed etiam fuissent confirmati in gratia, & iustitia, ac proinde nemo peccaret, ita vt iustitiam, & gratiam amitteret, ac omnes saluarentur. Propter peccatum enim Adami non solum generamur cum peccato originali, sed etiam cum necessitate peccandi: ergo si Adam permanisset in iustitia, & in gratia, non solum homines generati fuissent cum iustitia originali, sed etiam cum necessitate permanendi in iustitia, & nunquam peccandi, ac proinde confirmati in gratia.

4. Quar-

4. Quarto Angeli, qui resisterunt tentationi, ac non peccarunt, statim confirmati sunt in gratia, ita ut amplius peccare non possent: ergo etiam primi parentes si tentationi resisterent, confirmati fuissent in gratia, ita ut amplius peccare non possent: sed genuissent filios tales, quales ipsi fuissent: ergo.

5. Quinto Gregorius lib. 4. *Moralium*, cap. 36 super illud Iob somno meo requiescerem, dicit: Si parentem primum nulla peccati putredo corrumpere, nequaquam ex se filios gehennæ generaret, sed soli ceteri ex illo nascerentur: ergo si Adam non peccasset, omnes homines fuissent prædestinati, ac proinde confirmati in gratia. Hoc idem expressius docet Anselmus lib. 1. *cur Deus homo*, cap. 18. dicens, quod si primi parentes sic vixissent, ut tentati non peccassent, ita confirmarentur cum omni propagine, ut amplius peccare non possent.

6. Respondeo cum Sancto Thoma quæst. 100. art. 1. quod si Adam non peccasset, omnes homines generati fuissent in statu gratiæ. Sanctum Thomam sequuntur communiter Theologi in 2. dist. 20. ac Suar. lib. 3. de Opere sex dierum, cap. 8. num. 2. dicit hanc sententiam esse certissimam.

Probatur primo ex Scriptura. Apostolus enim ad Rom. 5. dicit: Per unum hominem peccatum introiit in mundum, & per peccatum mors: ergo si Adam non peccasset, homines non generarentur cum peccato originali: sed iuxta præsentem providentiam non datur status medius inter peccatum, & gratiam: ergo si Adam non peccasset, homines generati fuissent in statu gratiæ, præsertim cum peccatum originale consistat in privatione gratiæ, cum qua gratia generati fuissimus, si non peccassimus in Adamo.

7. Probatur secundo ex Concilijs. Nam Concilium Arausicanum 2. cap. 19. dicit, nos perdidisse in Adamo, & per Adamum, solam animæ, quæ in nobis per Christum reparatur: sed solam animæ, quæ in nobis per Christum reparatur, est gratia sanctificans: ergo nos per Adamum perdidimus gratiam sanctificantem, ac si Adam non peccasset, generati fuissimus cum gratia sanctificante. Tridentinum sess. 5. cap. 2. dicit Adamum peccando non sibi tantum, sed nobis etiam sanctitatem, quam acceperat, perdidisse, & ideo peccatum, quod mors est animæ, in posteros transfudisse: sed sanctitas, quam Adamus acceperat, consistebat in gratia: ergo Adam non sibi solum, sed nobis perdidit gratiam, ac proinde si Adam non peccasset, generati fuissimus cum gratia.

8. Tertio probatur ex Patribus. Irenæus lib. 3. cap. 20. dicit nos recuperare per Christum, quod in Adam perdidimus: sed per Christum recuperamus gratiam: ergo in Adamo perdidimus gratiam, ac proinde si Adam non peccasset, fuissimus generati cum gratia, sicut quia Adam peccavit, generamur cum privatione gratiæ. Irenæo consonant

Basilii lib. de Spiritu Sancto, cap. 17. Leo serm. 1. de ieiunio mensis 10. dicens: erigi in Adam secundo, quod cecidit in primo. Anselmus autem lib. de conceptione Virginis, cap. 10. & 22. dicit, quod simul cum rationalem haberent animam, iusti essent, quos generaret homo, si non peccaret.

9. Probatur quarto ratione, quam affert Sanctus Thomas hoc art. 1. quæst. 100. Nam naturaliter homo generat sibi simile secundum speciem, & secundum accidentia, quæ speciem consequuntur, nisi aliquid accidat præter naturam, ut cum homo generat monstrum, vel cæcum, surdum &c. at non est eodem modo necessarium, ut generet sibi simile in accidentibus individuabilibus: sed gratia, licet non emanarit naturaliter ex natura, sed fuerit donum supernaturale, tamen à Deo data fuit ipsi naturæ, & speciei humanæ in Adamo existenti, ac proinde ita data fuit, ut esset accidens naturæ, & speciei humanæ: ergo Adam genuisset filios sibi similes in gratia, nisi aliquid accideret præter naturam: sed in statu innocentie nihil accidisset præter naturam: ergo in statu innocentie homines generati fuissent cum gratia. Confirmatur: nam quia peccatum Adami fuit peccatum naturæ, filij, & posterij Adami generantur cum peccato: sed oppositorum proportionalis est ratio: ergo etiam gratia fuisset donum datum naturæ, ac speciei, ac proinde filij, & posterij Adami generati fuissent cum gratia. Radicalis horum ratio fuit diuina voluntas, qua Deus voluit dare Adamo gratiam, ut donum datum naturæ humanæ, ita ut si gratiam conservaret, propagaret in posteros, si gratiam peccando amitteret, propagaret in posteros peccatum originale, & privationem gratiæ.

10. Infertur primo, quod si Adam non peccasset, homines generati fuissent cum fide, spe, & charitate, & omnibus virtutibus moralibus per se infusis. Ratio est, quia virtutes per se infusæ sequuntur tanquam proprietates ex gratia, quæ est natura quædam spiritalis: ergo &c. Confirmatur: nam ex allata ratione infantibus in baptismo simul cum gratia infunduntur fides, spes, charitas, aliæque virtutes per se infusæ. De scientijs, & virtutibus per se acquisitis agitur quæst. 275. proxime sequenti.

11. Infertur secundo, quod si Adam non peccasset, homines sicut generati fuissent cum gratia, sic generati fuissent cum iustitia originali, cum integritate naturæ, cum dono immortalitatis, & cum alijs similibus donis Adamo concessis, ut docet Sanctus Thomas hoc art. 1. quæst. 100. quem sequuntur communiter Theologi. Ratio est, quia gratia, & hæc dona data fuerunt in Adamo toti naturæ, ac speciei humanæ: ergo propagari debuissent in posteros.

12. Confirmatur primo ex Scriptura. Nam Ecclesiast. 7. dicitur: Deus fecit hominem rectum;

rectum: sed rectitudo includit perfectam subiectionem partis inferioris respectu superioris, ut docet Hieronymus lib. 1. in Iovinianum, in qua perfecta subiectione consistit iustitia originalis, ut diximus quest. 259. & 260. ergo Deus fecit hominem cum iustitia originali: sed scriptura dicens, quod *Deus fecit hominem*, non loquitur solum de Adamo in individuo, sed de homine in specie, ideoque addit, & *ipse se immiscuit infinitis questionibus*, quod verificatur non solum de Adamo, sed de ceteris hominibus: ergo. Confirmatur: nam dum Sap. 2. dicitur, *Deus creavit hominem inextinguibilem*, & subditur, *Invidia autem Diaboli mors intravit in orbem terrarum*, significatur, quod homo creatus est inextinguibilis, & immortalis secundum speciem, ac quod invidia Diaboli peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, ut dicit Apostolus ad Rom. 5. ergo dum dicitur, quod *Deus fecit hominem rectum*, significatur, quod fecit hominem rectum secundum speciem, invidia autem Diaboli amissa est rectitudo, & iustitia originalis: ergo sicut si Adam non peccasset, homines generati fuissent cum dono immunitatis à morte, sic generati fuissent cum rectitudine consistente in iustitia originali.

13. Confirmatur secundo: nam Trident. sess. 5. cap. 2. definit Adamum peccando, non sibi solum, sed etiam nobis sanctitatem, & iustitiam amisisse: ergo indicat Adamum amisisse nobis non solum gratiam, quæ est sanctitas, sed etiam iustitiam originalem. Concilium Arausicanum 2. cap. 8. cum Augustino, aliisque Patribus dicit in omnibus Adami posteris liberum arbitrium fuisse infirmatum propter peccatum Adam: sed hæc infirmitas præsertim oritur ex concupiscentia, & ex pugna carnis cum spiritu, quam deplorat Apostolus ad Rom. 7. ergo ex peccato Adami orta est in nobis concupiscentia, ac pugna carnis cum spiritu: ergo si Adam non peccasset, non fuisset in nobis concupiscentia, ac proinde fuisset iustitia originalis, per quam caro non repugnaret spiritui, & rationi. Ideo Coelestinus Papa epist. 1. ad Episc. Gallie, cap. 4. dicit in prauaricatione *Adæ homines naturalem possibilitatem perdidisse*, quæ naturalis possibilitas bene operandi consistens in iustitia originali propagata fuisset cum ipsa natura integra, & in hoc sensu fuisset naturalis.

14. Confirmatur tertio ex Augustino, qui lib. 14. de Ciuit. cap. 10. dicit: *Quam felices erant primi homines, & nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis corporum turbabantur incommodis, tam felix vniuersa societas esset humana, si nec illi malum, quod etiam in posteros traicerent, nec quisquam ex eorum stirpe iniquitatem committeret, quæ damnationem reciperet*: ergo existimat, quod Adam si non peccasset, generasset homines sibi similes etiam in iustitia originali.

15. Sed quæritur, vtrum si Adam non

peccasset, homines non solum generarentur cum gratia, sed etiam generarentur confirmati in gratia, ita ut non possent amittere gratiam, & peccare mortaliter?

16. Respondet negatiue Sanctus Thomas art. 2. huius quæst. 100., & in 2. dist. 20. art. 3. ad 5., & quodlib. 5. num. 8. Sanctum Thomam sequuntur magis communiter Theologi, nimirum Durandus in 2. dist. 20. qu. 5. num. 9. Cajetanus, & Thomistæ in hunc art. Sancti Thomæ, ac inter alios Zumel, Molina, & Valentia, ac Suarius lib. 5. de Operibus sex dierum, cap. 9. nu. 3. Eandem opinionem indicant Ægidius in 2. dist. 20. quæst. 2. art. 4., & Richardus ibidem art. 4., qui addit, quod licet posterius Adæ innocentis possent peccare, vel non peccare, fortasse tamen nullus peccaret.

17. Probat primo hanc sententiam Sanctus Thomas in argumento *Sed contra* ex S. Augustino, qui lib. 14. de Ciuit. cap. 1. ex verbis relatis num. 14., quibus dicit, quod posterius Adæ felices fuissent, sicut Adam ante peccatum, si nec illi, hoc est primi parentes, malum, quod etiam in posteros traicerent, nec quisquam ex eorum stirpe iniquitatem committeret, quæ damnationem reciperet: ergo S. Augustinus supponit, quod posterius Adæ innocentis potuissent iniquitatem committere, quæ damnationem reciperet, ac proinde non fuissent confirmati in gratia.

18. Probat secundo ratione. Nam qui generarentur ex Adamo, & Heua, dum generarentur, non haberent plus perfectionis, quam haberent ipsi primi parentes, dum generarent filios: sed primi parentes quandiu fuissent in statu generandi filios, non fuissent confirmati in gratia: ergo eorum filij non generarentur confirmati in gratia. Probatur minor: nam connaturaliter, ac de lege ordinaria creatura rationalis tunc solum confirmatur in gratia, ita ut amplius peccare non possit, cum efficitur beata per claram visionem Dei, prout est in se; siquidem summa, & infinita bonitas Dei clarè visa necessitat creaturam ad inherendum ipsi Deo per amorem super omnia, ita ut non possit à Deo auerti, peccando: sed primi parentes, cum peruenirent ad beatitudinem consistentem in visione Dei, efficerentur spirituales mente, & corpore, & cessarent ab actibus vitæ animalis, nimirum ab actibus manducandi, bibendi, se nutriendi, & filios generandi: ergo cum filios generarent, non viderent Deum, ac proinde connaturaliter, ac de lege ordinaria non essent confirmati in gratia, nec generarent filios confirmatos in gratia: Potest tamen aliquis etiam antequam Deum ex speciali privilegio videat, confirmari in gratia, sicut creditur de Virgine Matre Dei. Hoc autem privilegium primis parentibus, & omnibus hominibus in statu innocentie sine fundamento desumpto ex Scriptura tribui non debet.

19. Scotus in 2. dist. 20. cum Sancto Tho-

Ggggg

ma

ma docet, quod homines in statu innocentiae non generarentur, nec nascerentur confirmati in gratia, quia non essent melioris conditionis, quam primi parentes, qui in prima productione non fuerunt in gratia confirmati. Addit tamen, quod primi parentes, si vicissent primam tentationem, confirmati fuissent in gratia, ac proportionaliter eorum posterij, si vicissent primam tentationem, confirmati fuissent in gratia. Deinde quaest. 2. inclinat in opinionem dicentem, quod si Adam non peccasset, generati fuissent soli praedestinati, ac proinde nullus hominum fuisset damnatus, & addit illos futuros fuisse eosdem numero homines, qui de facto sunt praedestinati, nec plures, nec pauciores, ac quod tunc nullus fuisset generatus eorum, qui de facto sunt reprobi, ac damnantur. Cum Scotus in ceteris consentit Gabriel eadem dist. art. 1., ac solum dubitat, vtrum durante statu innocentiae, iidem homines fuissent praedestinati, qui praedestinati sunt de facto. Maior eadem dist. dub. ultimo parum discrepat à Scoto, ac Bassolis ibidem art. 3. & 4. Scotum omnino sequitur, cui etiam consentit noster Pererius lib. 4. in Genes. quaest. de creatione mulieris, circa illa verba: *Non est bonum hominem esse solum.*

20. Omnes istae opiniones reiiciuntur fundamento allato ex Sancto Thoma. Nam cum de lege ordinaria, & sine specialissimo privilegio homines non confirmantur in gratia, antequam videant Deum, sine fundamento docent primos parentes, ac omnes eorum posteros confirmandos fuisse in gratia post victoriam primae tentationis, antequam Deum viderent. Quaestiones, in quibus quaeritur, vtrum si Adam non peccasset, omnes homines essent praedestinati, ac generarentur omnes, ac soli, qui de facto sunt praedestinati, an potius aliqui praedestinati generentur de facto occasione primi peccati, qui si Adam non peccasset, non fuissent generati, sunt valde incertae, nec possunt sufficienter ex Scriptura decidi, ideoque sunt hic omittendae. Videri potest Suarius, qui lib. 5. de Opere sex dierum, cap. 9. & 10. has, & similes quaestiones examinat.

21. Ad 1. concedo totum, quod nimirum sicut anima non est ex traduce, neque traducitur ex vno homine in alium, sic in statu innocentiae iustitia non esset ex traduce, nec traduceretur ex vno homine in alium. Ut enim aliquid sit ex traduce, debet ex vno in alium derivari virtute seminis; sed anima rationalis non derivatur ex vno homine in alium hominem virtute seminis, sed corpori virtute seminis organizato, ac disposito infunditur à Deo: ergo anima rationalis non est ex traduce, neque ex vno homine traducitur in alium. Proportionaliter gratia, & iustitia non derivarentur ex Adam in posteros virtute seminis, sed infunderentur immediate à Deo, ac proinde non essent ex traduce, nec

traducerentur ex vno homine in alium. Rursus gratia non esset naturalis posteris Adami, quia non daretur ut debita natura, sed ut donum gratuitum à Deo datum toti naturae humanae in Adamo.

22. Ad 2. ex auctoritate Hugonis de Sancto Victore, respondet Sanctus Thomas in resp. ad 1., quod Hugo dicens, quod Adam, si non peccasset, generasset, quidem filios sine peccato, sed non paternae iustitiae haeredes, non negat, quod filij accepissent ab Adamo veluti hereditario iure habitum iustitiae, sed solum negat, quod accepissent executionem habitus, siquidem actus iustitiae non acciperent ab Adamo, sed deberent exequi per liberum arbitrium. Respondet secundo Suarius lib. 5. de Opere sex dierum, cap. 8. num. 14., quod Hugo non negat filios Adami in generatione accepturos iustitiam, & gratiam, sed solum negat illos accepturos hereditario iure, & ex merito Adami, cum acciperent solum ex promissione gratuita Dei. Peccatum autem originale accipimus ex merito Adami.

23. Ad 3. Respondet Sanctus Thomas art. 2. in resp. ad 3., quod sicut post peccatum Adami ita homines nascuntur cum quadam necessitate morali peccandi, ut possint, cooperando auxilijs gratiae, recuperare gratiam, & iustitiam amissam in Adamo, sic si non peccasset Adam, ita homines nascerentur cum iustitia, & gratia, ut possent, auxilijs gratiae resistendo, peccare, & gratiam, ac iustitiam amittere.

24. Ad 4. concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitatem assertit Sanctus Thomas in resp. ad 4. dicens: *Homo habet liberum arbitrium vertibile, & ante electionem, & post; non autem Angelus, sicut supra dictum est, cum de Angelo ageretur quaest. nimirum 64. art. 2. Videri possunt, quae de hoc puncto diximus qu. 188.*

25. Ad 5. Si Adam non peccasset, procul dubio non generasset ex se filios gehennae, sicut nos cum ex Adam habeamus peccatum originale, per quod sumus filij gehennae, ex Adam habemus, quod sumus filij gehennae, & ut loquitur Apostolus sumus natura filij irae. Ex hoc tamen non sequitur, quod posterij Adami non possent, peccando, se constituit filios gehennae. Si autem non peccarent, ac proinde non se facerent filios gehennae, hoc non haberent ex eo, quod essent confirmati in gratia, sed propter divinam providentiam, per quam à peccato conservarentur immunes, ut loquitur Sanctus Thomas in resp. ad 1. Ad auctoritatem Anselmi respondet Sanctus Thomas in resp. ad 2., quod Anselmus hoc non dicit, asserendo, sed opinando; quod patet ex ipso modo loquendi, cum dicit, videtur, quod si vixissent.

QVAESTIO CCLXXV.

Virum in statu innocentie pueri nati fuissent in scientia perfecti, & cum perfecto usu rationis?

S. Th. quæst. 101. art. 1. 2.

1. Videtur, quod in statu innocentie pueris in generatione infusæ fuissent omnes scientiæ etiam naturales, ac proinde nati fuissent perfecti in scientia. Ut enim cum Sancto Thoma qu. 94. art. 3. diximus qu. 256. Adamo in productione infusæ sunt omnes scientiæ etiam naturales, ac proinde productus est in scientia perfectus: sed Adam debuit generare filios similes sibi: ergo.

2. Secundo ex dictis quæst. 274. proximè superiori, pueri in statu innocentie generati fuissent cum gratia, & iustitia, & cum omnibus virtutibus infusis: ergo etiam cum omnibus scientiis. Eadem enim est ratio. Confirmatur: nam ad exercitium virtutum requiritur prudentia, hoc est scientia rerum agendarum: ergo pueri, sicut generati fuissent cum virtutibus infusis, sic generati fuissent cum prudentia, quæ dirigeretur ad exercitium virtutum: ergo etiam cum aliis scientiis: eadem enim est ratio.

3. Tercio si pueris ab initio non infunderentur omnes scientiæ, deberent illas acquirere studio, ac disciplina: sed ad acquirendas scientias studio, & disciplina requiritur longum tempus, ac difficillimè ad earum perfectionem peruenitur: hæc autem repugnant felicitati status innocentie: ergo pueri deberent omnes scientias accipere per infusionem à Deo.

4. Quarto, ut docet Beda in cap. 2. ep. ad Rom. & in cap. 1. Genes. ignorantia in hominibus causatur à peccato: ergo si Adam non peccasset, homines generarentur sine vlla ignorantia: sed ignorantia est priuatio scientiæ: ergo homines generarentur sine vlla priuatione scientiæ, ac proinde cum omnibus scientiis naturalibus.

5. Quinto videtur, quod pueri in statu innocentie generati fuissent cum perfecto usu rationis. Ideo enim de facto pueri ab initio non habent perfectum usum rationis, quia anima à corpore aggrauatur, & consequenter impeditur à perfecto usu rationis: sed ut dicitur Sap. 9. Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, ideoque solum corpus corruptibile aggrauat animam, eamque impedit à perfecto usu rationis: in statu autem innocentie corpora hominum non essent sub eâ corruptioni, ac morti, ut dictum est quæst. 269. ergo.

6. Sexto plura bruta animalia statim, ac nata sunt, habent usum naturalis industriæ,

ex.gr. statim agnus fugit lupum: ergo à fortiori homines geniti in statu innocentie statim habuissent perfectum usum rationis.

7. Respondeo, quod ut cum Sancto Thoma quæst. 95. art. 3. diximus quæst. 256. num. 4. & sequentibus, Adam ab initio non solum habuit perfectum usum rationis, sed etiam accepit à Deo scientiam infusam omnium, quæ homines naturaliter studio, ac disciplina possunt cognoscere, ac præterea notitiam infusam mysteriorum supernaturalium. Hoc supposito, quaritur, verum si Adam non peccasset, proportionaliter pueri generarentur, ac nascerentur cum perfecto usu rationis, & cum habitibus per accidens infusis scientiarum naturalium, & cum notitia infusa supernaturalium mysteriorum?

8. Richardus in 2. dist. 20. art. 1. quæst. 4. opinatur, quod licet pueri ab initio non haberent scientias naturales quantum ad usum, haberent illas quoad habitus per accidens infusos. Contra hanc sententiam.

9. Dicendum cum Sancto Thoma hoc art. 1. quæst. 101. quem sequuntur satis communiter Theologi, ac inter ceteros Suarez lib. 5. de Opere sex dierum, cap. 8. num. 17. & sequentibus, quod pueri ab initio, nec haberent habitus per accidens infusos scientiarum naturalium, sed anima eorum esset sicut tabula rasa, in qua nihil est scriptum, ac deinde paulatim species, & habitus scientiarum naturalium, studio, inuentione, ac disciplina sine difficultate acquirerent, & à sensibilibus abstraherent.

10. Probatur: nam ut cum Sancto Thoma quæst. 84. art. 3. & Aristotele 3. de anima t. 14. diximus quæst. 240. Anima hominis naturaliter ab initio est veluti tabula rasa, in qua nihil est scriptum, ac proinde caret omnibus speciebus, & habitibus, ac deinde paulatim species intelligibiles abstrahit à sensibilibus sensu perceptis, ac habitus scientiarum studio, inuentione, vel disciplina acquirit, & ideo vnitur corpori, quia sensibus corporeis indiget ad species, & habitus scientiarum connaturaliter acquirendos, ut cum eodem Sancto Thoma quæstione 89. art. 1. diximus quæstione 247. Sed de his, quæ sunt supra naturam, soli auctoritati creditur, unde ubi auctoritas deficit, sequi debemus naturæ conditionem, ut loquitur Sanctus Thomas hoc art. 1. quæst. 101. ergo quandoquidem ex nulla auctoritate Scripturarum colligitur in statu innocentie pueros ab initio supernaturaliter accepturos species, & habitus per accidens infusos scientiarum naturalium, debemus existimare, quod pueri generarentur sine talibus speciebus, & habitibus, ac proinde ab initio non essent perfecti scientia, sed eam processu temporis absque difficultate (quæ nulla esset in natura integra) acquirerent, inueniendo, vel addiscendo. Ex proportionali ratione licet ab initio pueri simul cum gratia acciperent habitum per se infusum fidei, qui connaturaliter sequitur

G g g g g 2

tur ex gratia sanctificante per modum proprietatis, ut dictum est quæst. 274. num. 9. tamen non acciperent notitiam infusam mysteriorum supernaturalium, sed eam deinde acciperent per reuelationem, vel immediatè à Deo, vel mediatè ex instructione parentum, aut aliorum.

11. Dicendum secundo cum eodem Sancto Thoma art. 2. quæst. 101. In statu innocentie pueri ab initio non haberent perfectum usum rationis.

Probatur ex eodem principio. Nam pueri naturaliter, secluso miraculo, non habent perfectum usum rationis: sed nulla auctoritate Scripturæ colligitur hoc miraculum: ergo. Probatur maior: nam usus rationis quodammodo pendet ex usu virium sensitivarum, ideoque ligato sensu, & impeditis inferioribus viribus sensitivis, in homine impeditur perfectus usus rationis, ut patet in dormientibus, & phreneticis, & ut cum Sancto Thoma quæst. 84. art. 3. explicauimus quæst. 241. num. 6. 7. & 8. sed vires sensitivæ sunt virtutes etiam organorum corporeorum, ideoque corporeis organis impeditis, impediuntur ab exercitio actuum perfectorum: ergo in hominibus perfectus usus rationis impeditur ex impedimento, & indispositione organorum corporeorum: sed in pueris organa corporea propter nimiam humiditatem cerebri sunt impedita, ac indisposita, ac proinde pueri, sicut naturaliter non habent perfectum usum membrorum, sic non habent perfectum usum virium sensitivarum, & consequenter rationis: ergo &c. Addit S. Thomas, quod in statu innocentie pueri habuissent usum rationis perfectiorem, quam nunc, quantum ad ea, quæ ad eos pertinebant, quantum ad statum illum, sicut & de usu membrorum superius est dictum quæst. 99. art. 1. & nos explicauimus quæst. 273. num. 9.

12. Ad 1. concedo maiorem, ac distinguo minorem: Adam debuit generare filios similes sibi in accidentibus naturalibus, & etiam in gratuitis datis ori naturæ, concedo: in accidentibus naturalibus Adamo convenientibus, in quantum erat pater, & instructor totius generis humani: sed perfecta scientia rerum naturalium fuit in prima productione infusa Adamo, in quantum debebat esse pater, & instructor totius generis humani, ut cum Sancto Thoma qu. 94. art. 3. diximus quæst. 256. ergo Adam non debuit generare filios sibi similes in tali scientia infusa.

13. Ad 2. concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, quia ex dictis quæst. 274. gratia, & iustitia fuit accidens gra-

uitum datum in Adamo toti naturæ humanæ: sed accidentia data toti naturæ humanæ debuissent propagari in posteros: ergo. At scientia per accidens infusa fuit accidens individuale datum Adamo, in quantum erat pater, & instructor totius generis humani, ac proinde non debuit propagari in posteros. Ad confirmationem: sicut pueri habuissent ab initio cum gratia omnes virtutes supernaturales per se infusas, tum theologicas, tum morales, ut dictum est quæst. 274. num. 10. sic habuissent etiam prudentiam per se infusam, per quam sufficienter dirigerentur ad exercendos actus virtutum supernaturalium illi ætati convenientes. Ad actus virtutum naturalium sufficienter dirigerentur per lumen rationis, quod in ipsis esset perfectum, & non obtenebratum per peccatum originale, sicut in nobis. At sicut virtutes naturales non fuisset pueris per accidens infusæ, sed debuissent acquiri per actus, sic scientiæ naturales non fuisset ipsis per accidens infusæ, sed debuissent acquiri per actus dependentes à studio, & disciplina.

14. Ad 3. concedo maiorem, & distinguo minorem: ad acquirendas scientias studio, & disciplina in natura lapsa requiritur longum tempus, & difficillimè ad earum perfectionem peruenitur, concedo: in natura integra, & ornata donis iustitiæ originalis, nego minorem: & nego consequentiam. Pueri in natura integra generarentur, & nascerentur sine ullo defectu organorum, ac bene dispositi ad scientias acquirendas, ac proinde breui tempore possent studio, ac disciplina omnes scientias naturales facillimè, ac delectabiliter acquirere, præsertim cum per donum iustitiæ originalis pars inferior ita esset subiecta rationi, ut non impediret à contemplatione veritatis.

15. Ad 4. distinguo maiorem: ignorantia puræ negationis causatur à peccato, nego ignorantia priuationis, concedo: & distinguo eodem pacto consequens. Ignorantia priuationis est carentia scientiæ pro tempore, pro quo debet haberi: sed pueri non carerent scientia puerili ætati conveniente: ergo non essent subiecti ignorantie priuationis, quæ sola est effectus peccati. At non solum pueri, sed etiam viri perfecti sunt subiecti alicui ignorantie puræ negationis, siquidem nunquam sciunt omnia.

16. Ad 5. distinguo minorem: solum corpus corruptibile aggrauat animam, eamque impedit à perfecto usu rationis in iis, quæ conueniunt singulis ætatibus, concedo: solum corpus corruptibile aggrauat animam, eamque impedit ab usu rationis non conueniente singulis ætatibus, nego minorem: & nego consequentiam. Solum corpus corruptibile aggrauat animam, eamque impedit ab usu rationis proprio ætatis puerilis, inuenies impedit ab usu rationis proprio ætatis iuuenilis. Pueri in statu innocentie, quia haberent corpus non obnoxium corruptioni, non impedirentur ab usu rationis proprio puerorum. At per corpus

pus puerile non subiectum corruptioni propter magnam humiditatem cerebri impediuntur ab usu rationis proprio ætatis iuuenilis, virilis &c. ut dictum est num. 10.

17. Ad 6. Etiam bruta animalia ab initio non habent ita perfectum usum industriæ naturalis, sicut postea, ut patet ex eo, quod aues docent volare pullos suos: ergo non est mirum, quod in statu innocentie pueri ab initio non habent ita perfectum usum rationis, sicut postea, præsertim cum in pueris humiditas cerebri impediatur perfectum usum membrorum, virtutis sensitivæ, ac rationis, quod impedimentum non datur proportionatè in alijs animalibus.

QVÆSTIO CCLXXVI.

Virum paradisus fuerit locus corporeus conueniens habitationi hominum, ac Adam fuerit factus in paradise, vel ad paradisum translatus, ut operaretur, & custodiret illum?

S. Th. quæst. 102. art. 1. 2. 3. & 4.

1. **E**xpeditis cæteris, quæ spectant ad formationem primorum hominum, & ad statum innocentie, ac naturæ integræ, Sanctus Thomas quæst. 102. quatuor articulis disputat de loco, in quo positi fuerunt primi homines. Et quia ut dicitur 2. Gen. Plantauit Dominus Deus ab initio paradisum voluptatis, in quo posuit hominem, quem formauerat, agit de paradiso voluptatis. Doctrinam huius quæstionis aliquibus quæstis breuiter explicabimus.

2. Quæritur igitur primo cum Sancto Thoma art. 1. quæst. 102. virum paradisus fuerit locus corporeus?

Respondet, quod ut loquitur S. Augustinus lib. 8. de Gen. ad litter. initio Tres sunt de hac re quasi generales sententie: una eorum, qui tantummodo corporaliter paradisum intelligi volunt; alia eorum, qui spiritualiter tantum: tertia eorum, qui utroque modo paradisum accipiunt, alias corporaliter, alias autem spiritualiter.

3. Paradisum ergo non fuisse locum corporeum, ac proinde ea, quæ de paradiso, de arboribus in eo plantatis, de ligno vitæ, ac de fluuio, quo irrigabatur, qui deinde diuidebatur in quatuor capita, in Scriptura narrantur spiritualiter solum, ac mysticè intelligenda, docuit ex Iudæis Philo lib. de Opificio mundi, propè finem, & lib. 1. Allegor. & lib. de plantatione Noe propè initium, & lib. de confusione linguarum, ante medium, ac antiquos Iudæos, & Chaldeos idem tradidisse, refert Augustinus Eugubinus in cap. 2. Gen. Ex hæreticis Valentinus docuit nomine paradisi intelligi veritatem, vel Archangelum quemdam in tertio cælo existentem, ut refert

Irenæus lib. 1. contra hæreses, cap. 1. & Tertullianus lib. contra Valentinum, cap. 20. Paradisum etiam corporeum, ac visibilem negarunt Seleuciani, & Hermiani, ut testatur S. Augustinus lib. de hæresibus, cap. 59. Origenes in Gen. ut notat Epiphanius in epist. contra Iohannem Hierosolymitanum, & in Anchorato, quos ex recentioribus, secutus est Franciscus Georgius, ut testatur Sixtus Senensis lib. 5. Biblioth. sanctæ, annot. 34. Non desunt qui putent Ambrosium in hac sententia, fuisse, quia lib. Epist. epist. 31. ad Sabinum dicit, *Quod paradisus est genesis liber*, & allegoricè exponit tunicas pelliceas, primorum parentum. Sed ex eo, quod Ambrosius paradisum exponat allegoricè, non sequitur, quod neget illum fuisse locum corporeum, cum id satis clarè asserat loco citando n. 7. Hieronymus in qu. Hebraic. indicat paradisum spiritualem fuisse. Nam dicit ante cælum, & terram, fuisse à Deo creatum. Sed idem Hieronymus loco citando num. 7. disertè contra Origenem admittit paradisum corporeum. Anastasius etiam Synaita lib. 7. Hexam. hanc referens sententiam, dicit illam fuisse plurimum veterum interpretum, à qua ipse non videtur alienus. Existimo igitur hos authores catholicos recensendos potius inter eos, qui ut loquitur S. Augustinus citatus num. 2. utroque modo paradisum intelligunt, alias corporaliter, alias autem spiritualiter.

4. Dicendum cum communi, & catholica sententia, quæ ut docet Suarez lib. 3. de Opere sex dierum cap. 6. est de fide, paradisum, quem Deus ab initio plantauit, fuisse locum corporeum, ac terrestrem, ac ea, quæ de illius plantatione dicuntur in Genesi, cum proprietate, ac literaliter intelligenda, licet possint etiam allegoricè, & mysticè explicari. Hanc sententiam clarissimè tradit S. Augustinus lib. 13. de Ciuit. cap. 21. cuius verba libet fuisse referre, quia explicant etiam præcipuos sensus mysticos, quibus paradisus, & ea, quæ de paradiso dicuntur in Genesi, possunt intelligi, & soluit præcipuum fundamentum assentientium paradisum non fuisse corporeum, sed solum spiritualem, & mysticum. Nonnulli primum illum paradisum, ubi primi homines parentes generis humani Sancta Scriptura veritate fuisse narrantur, ad intelligibilia referunt, arboresque illas, & ligna fructifera in virtutes vitæ, moresque conuertunt, tanquam visibilia, & corporalia illa non fuerint, sed intelligibilia significandorum causa, eo modo dicta, vel scripta sint. Quasi propterea non potuerit esse paradisus corporalis, quia potest etiam spiritualis intelligi: tanquam ideo non fuerint due mulieres Agar, & Sara, & ex illis duo filij Abrahæ, unus de ancilla, alius de libera, quia duo testamenta in ijs figurata dicit Apostolus: aut ideo de nulla petra, Moysè percutiente, aqua defluerit, quia potest illic figurata significatione Christus intelligi, etiam Apostolo dicente: petra autem erat Christus. Nemo igitur prohibet intelligi paradisum vitam beatorum: quatuor eius flumina quatuor virtutes, prudentiam fortitudinem,

nem, temperantiam, atque iustitiam, & ligna eius omnes utiles disciplinas: & lignorum fructus mores piorum, & lignum vite ipsam bonorum matrem sapientiam: & lignum scientie boni, & mali, ipsum transgressi mandati experimentum. Et paucis interpositis, addit. Possunt hæc etiam in Ecclesia intelligi, ut ea melius accipiamus, tanquam prophetica indicia futurorum: paradisi scilicet ipsam Ecclesiam, sicut de ipsa legitur in cantico canticorum: quatuor autem paradisi flumina, quatuor Evangelia: ligna fructifera sanctos: fructus autem eorum opera eorum: lignum vite Sanctum Sanctorum, utique Christum: lignum scientie boni, & mali proprium voluntatis arbitrium. Et paulo post concludit. Hæc, & si quæ alia commodius dici possunt de intelligendo spiritualiter paradiso, nemine prohibente, dicantur, dum tamen & illius historia veritas fidelissima rerum gestarum narratione commendata credatur. Licet igitur nomine paradisi in Scripturis aliquando significetur celestis habitatio, vel gloria beatorum, ut eum Ezech. 28. dicitur Lucifero, in deliciis paradisi Dei fuisse, & Luc. 23. Christus dixit Latroni, hodie mecum eris in paradiso; tamen non est negandum in Genesi nomine paradisi locum aliquem corporeum, ac terrestrem litteraliter intelligi.

5. Probatur autem primo ex ipso contextu Scripturæ. Moyses enim postquam narravit productionem Adami, quæ est ad litteram intelligenda, narrat productionem loci, quem Deus homini præparavit, ad corpoream vitam convenienter transigendam: ergo loquitur de loco corporeo, & sensibili, ac terrestri, in quo erant arbores corporeæ, & sensibiles, ac ferentes fructus aptos ad cibum, quo homines nutrentur; & proportionaliter agit de fluminibus corporeis, & sensibilibus, quibus locus ille irrigaretur, & sæcundaretur. Confirmatur: nam Genesis 13. de regione circa Iordanem dicitur: *Vniuersa irrigabatur, sicut paradisus Domini, & sicut Aegyptus*: ergo sicut Aegyptus est locus terrestris, qui irrigatur propriè, & sensibilibus à Nilo, sic paradisus erat locus terrestris, qui irrigabatur propriè, & sensibilibus à quatuor fluminibus, ut arguit Augustinus qu. 27. in Gen.

6. Probatur secundo ex traditione communi Patrum Græcorum, & Latinorum, quorum aliquos affert Suarius lib. 3. de Opere sex dierum, cap. 6. num. 7. Ex Græcis Epiphanius in Anchorato dicit: *Si non est paradisus sensibilis, non est ficus, non folia, non comedit Heuæ &c.* sed veritas iam fabula est. Damascenus lib. 2. de fide cap. 11. ex professo hoc docet, & probat. Moyses Barcephæ de hoc puncto agit toto libro de paradiso, & pro hac communi sententia refert Cyrillum Alexandrinum, Dionysium Alexandrinum, Gregorium Nyssenum, & alios. Idem docet Basilius homil. de Paradiso, & Sophronius in epistola, quæ refertur in sexta Synodo, act. 11. & approbatur sess. 13. damnat Origenem, eiusque Scætores etiam quia plantationem paradisi rejiciebant. Idem docent Irenæus lib. 2. contra hæreses, cap. 53.

& lib. 5. cap. 5. Iustinus in Oratione Parænetica ad gentes prope finem, Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Autolicum circa medium, Chrysostomus homil. 15. & 19. in Gen. Theodoretus qu. 24. & 29. in Gen. & alij.

7. Ex Latinis Hieronymus contra Philonem, & Origenem præcipuos contrariæ sententiæ authores in Com. Danielis 10. dicit. *Eorum deliramenta conticeant, qui umbras in veritate quærentes, ipsam conantur euertere veritatem, & flumina, & arbores, & paradisum putant allegoria legibus se debere subruere.* Idem docet epist. 61. ad Pammachium contra errores Ioannis Hierosolymitani. Ambrosius lib. 4. in Lucam in illa verba, *Iesus autem plenus dicit. Adam primum ex terra virgine formatum, de paradiso in desertum electum fuisse, & per arborem mortem incurrisse, & spiritualium nudum arboreis se texisse exuviis.* Augustinus idem docet, non solum citato lib. 13. de Ciuit. cap. 21. sed etiam qu. 27. in Gen. & Hæc. 43. contra Origenistas, & lib. 8. de Gen. ad litt. ab initio.

8. Probatur tertio ratione. Homini enim in statu innocentie, cum deberet viuere vitam aliquatenus beatam, sed adhuc animale, manducando, bibendo, se nutriendo, ac filios generando, debuit præparari locus terrenus, sed deliciosissimus, proferens fructus, quibus nutriretur: sed talis describitur paradisus: ergo. Porro paradisus græcè idem est, ac latine hortus, & à Scriptura describitur ut hortus arboribus constitus.

9. Quæritur secundo, vtrum paradisus fuerit certus terræ locus in determinata terræ parte constitutus, vel potius vniuersa terræ suis floribus, & arboribus ornata.

Respondet, quod Hugo Victorinus annotat. in Gen. cap. 2. refert ut probabilem, licet illam non sequatur, opinionem quorundam, qui dixerunt paradisum fuisse vniuersam terram, floribus, & arboribus ornata, & hanc opinionem Ystella tribuit Iosepho lib. 1. Antiquit. cap. 2. licet Iosephus oppositum afferat, dicens Deum hortum ad Orientem plantasse, & in eo Adam cum vxore introduxisse.

10. Dicendum cum Sancto Thoma hac quæst. 102. art. 1. & cum Patribus citatis nu. 6. & 7. & Isid. lib. 14. Etymol. cap. 3. versu 2. paradisum fuisse locum particularem in determinata terræ parte situm.

Probatur ex Scriptura. Primo enim Gen. 27. dicitur, *formauit igitur Dominus Deus hominem de limbo terræ, ac mox eodem cap. 2. 15. dicitur: Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis: sed non potuisset hominem formatum ex tera ferre in paradisum voluptatis, si paradisus non esset aliqua determinata pars terræ: ergo.* Secundo Gen. 3. dicitur: *Et emisit Deus eum, hoc est Adamum de paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est: sed Deus non emisit Adamum ex vniuersa terra: ergo paradisus voluptatis erat determinata pars terræ distincta ab alia parte*

parte, ex qua Adam fuerat sumptus, & formatus, & ad quam fuit eiectus. Eodem cap. 3. 24. dicitur: *Eiecitque Adam, & collocavit ante paradisum Cherubim flammeum gladium habentem*, ne nimirum Adam posset regredi in paradisum: ergo paradisus erat determinata pars terræ, à qua Adam fuit eiectus, ita ut non posset ad illam regredi. Propter hæc Scripturæ testimonia Suarius lib. 5. de Opere sex dierum, cap. 6. num. 15. docet sententiam docentem paradisum fuisse determinatum locum terræ, vel esse de fide, vel fidei proximam.

11. Opponitur primo: quatuor flumina, quæ Gen. 2. dicuntur oriri ex paradiso, habent manifestas origines in regionibus distantissimis, ut habetur ex Aristotele, lib. 1. Meteor. duobus ultimis capitibus, non autem ex vno loco communi: ergo nomine paradisi in Scriptura non significatur vnus determinatus locus, sed vniuersa terra.

Respondet Sanctus Thomas hoc artic. 1. in resp. ad 2., quod sicut S. Augustinus dicit lib. 8. de Gen. ad litt. cap. 7. *Credendum est, quod locus paradisi à cognitione hominum est remotissimus: flumina autem, quorum fontes noti esse dicuntur, alicubi esse sub terra, & post tractus prolixarum regionum locis alijs erupisse. Nam hoc scire nonnullas aquas facere quis ignorat?* Addo Cornelium, & quosdam alios interpretes Genesios opinari omnes quatuor fluuios in Scriptura nominatos manifestas origines habere in Mesopotamia, vel in aliqua propinqua regione, atque hinc arguunt paradisum fuisse in Mesopotamia, vel in aliqua propinqua regione, ac deinde aquis diluuij destructum.

12. Opponitur secundo: tota terra fuit à Deo producta ad habitationem hominum: sed in statu innocentie, si durasset, omnes homines habitassent in paradiso: ergo nomine paradisi intelligitur tota terra.

Respondet, quod Deus totam terram destinavit habitationi hominum, ac si præiudicaret statum innocentie duraturum, totam terram constituisset proportionaliter talem, qualem constituit paradisum, hoc est amenissimam, & delicijs omnibus affluentem. Sed quia sciebat primos parentes peccaturos, antequam genus humanum per generationem multiplicaretur, habitationi hominum pro statu innocentie parum duraturo, præparauit paradisum in parte determinata terræ.

13. Quæritur tertio, quantæ magnitudinis fuerit paradisus.

Respondet, quod Abuleasis in cap. 13. Gen. quæst. 98. docet paradisum fuisse ita angustum, ut eius ambitus quadraginta circiter millaria non excederet. Dicendum cum S. Augustino lib. 8. de Genes. ad litteram, paradisum fuisse amplissimum. Probat: nam irrigabatur fluuiio tantæ magnitudinis, ut posset in quatuor flumina diuideretur: sed locus irrigatus tanto fluuiio debuit esse valde magnus: ergo. Ideo Moses Barcephala Lib. de

paradiso, cap. 15. dicit: *Necessè est spaciosum admodum, atque amplum fuisse paradisum. Ei enim rei fidem facit ingens illud flumen, quo irrigabatur. Confirmatur: nam ad diuinam magnificentiâ spectat, ut paradisum fecerit valde magnum. Quantæ verò magnitudinis fuerit, determinari à nobis nequit. Suarius lib. 3. de Opere sex dierum opinatur illum habuisse amplitudinem vnus regni non parui.*

14. Quæritur quarto, vtrum paradisus plantatus fuerit in aliqua planitie, vel in aliquibus excelsis montibus, & quanta fuerit altitudo eius?

Respondeo plures fuisse sententias. Prima, quam Sanctus Thomas hoc artic. 1. qu. 102. in primo argumento tribuit Bedæ, Catharinus autem in Genesim tribuit Augustino, docet paradisum fuisse ita altum, ut pertingeret vsque ad cælum Lunæ. At Suarius lib. 3. de Opere sex dierum, cap. 6. num. 26. dicit se hanc sententiam neque apud Augustinum, neque apud Bedam inuenisse, sed asserit illam fuisse traditam à Strabo in Gen. quem etiam refert Lipomanus in catena, & à Petro Comestore in historia Ecclesiastica, cap. 13. quibus Magister in 1. dist. 17. videtur consentire. Addit Suarius plures Patres ex modo loquendi fauere huic opinioni. Damascenus enim lib. 2. de fide, cap. 17. dicit paradisum excelsorem esse omni terra, Basiliius homil. de paradiso dicit: *Ob sublimitatem loci, in quo erat paradisus, nullas in eo fuisse tenebras, sed ex orientium syderum splendorem semper illustratum fuisse.* Rupertus lib. 1. de Trinit. cap. 37. dicit paradisum fuisse deliciosum terræ locum cælis proximum &c.

15. Hæc opinio, cuiuscumque fuerit, si intelligatur, ut verba sonant, rejicitur primo à Suario lib. 3. de Opere sex dierum, cap. 6. num. 30. Nam si altitudo paradisi erat tanta, ut ad sphaeram lunæ pertingeret, cum planities in summitate talis montis deberet esse amplissima, basis montis debuisset esse proportionaliter tam magna, ut occuparet saltem spatium totius terræ, ut potest mathematicè demonstrari: sed hoc est inconueniens, & contra experientiam; ergo.

16. Rejicitur secundo à Pererio lib. 3. in Gen. disput. de paradiso, quæst. 2. Nam locus adeo excelsus non fuisset salubris, nec habitationi humanæ accommodatus, tum ob propinquitatem Solis, syderum, & elementi ignis; tum ob perpetuam aeris agitationem ex motu cæli prouenientem; tum ob alias causas. Ideo Sanctus Thomas hoc art. 1. qu. 102. ad 1. opinionem hanc, (quam tribuit Bedæ, benignè interpretatur, dicens: *Verbum Bedæ non est verum, si secundum situm manifestum intelligatur. Potest tamen exponi, quod vsque ad locum lunaris globi ascendit, non secundum situm eminentiam, sed secundum similitudinem, quia est ibi perpetua aeris temperies, ut Isidorus dicit lib. 14. Etymol. cap. 13. & in hoc assimilatur corporibus celestibus, quæ sunt absque contrarietate.*

17. Sc.

17. Secunda sententia est quorundam, qui vt refert Sanctus Thomas eodem artic. 1. quæst. 102. in resp. ad 1. dixerunt, quod paradisu pertingebat vsque ad lunarem globum, idest vsque ad medium aeris interstitium, hoc est, vsque ad secundam regionem aeris, in quo generantur pluuia, & venti, & huiusmodi.

18. Hæc etiam sententia rejicitur à Sancto Thoma. Nam secundum hoc locus ille non esset conueniens habitationi humana, tum quia ibi est maxima aeris intemperies, tum quia non est temperatus complexioni humana, sicut aer inferior magis terra vicinus.

19. Dicendum igitur cum tertia sententia Sancti Thomæ verbis citatis, paradisu non fuisse ita altum, vt ad secundam aeris regionem pertingeret. Locus enim in prima aeris regione constitutus magis est attemperatus complexioni humanæ. Hanc sententiam sequitur Suarius lib. 3. de Opere sex dierum, cap. 6. num. 31. qui addit verisimilius credi paradisu in loco montuoso, & satis sublimi fuisse collocatum, vt suadetur ex eo, quod in paradiso magnus fluius oriebatur: magni autem fluij, non nisi in altis montibus oriri solent. Pro hac opinione Suarius citat Abulensem in Gen. 2. quæst. 9. & in Gen. 13. qu. 107. & pro ea conatur explicare plures scholasticos, ac plures Patres, & concludit verisimile esse intra ipsum paradisu non totam terram fuisse vniuersam, sed in illius amplitudine quasdam partes fuisse eminentiores alijs, ac subinde fuisse colles, & campos.

20. Quæritur quintò, in qua mundi parte paradisu fuerit collocatus?

Respondeo cum Sancto Thoma hoc art. 1. quæst. 102. quem sequuntur communiter Theologi, & Interpretes Scripturæ, quod fuit constitutus in parte orientali respectu Palestina, ac loci propinqui, in quo Moyses scripsit Genesim.

21. Probatur primo ex Scriptura. Nam Gen. 2. vbi vulgata habet, *Plantauit autem Deus paradisu voluptatis à principio*, in hebræo legitur, *plantauit Deus hortum in Eden ab oriente*, vt vertit Pagninus, vel *ad Orientem*, vt vertunt septuaginta, & hanc lectionem sequuntur penè omnes Patres. Credibile autem est verbum hebræum significare tum principium, tum orientem, & Spiritum Sanctum vtrumque sensum intendisse, vt censet Suar. lib. 3. de Opere sex dierum, cap. 6. n. 34.

22. Probatur secundò ex Patribus, qui secuti hanc versionem Scripturæ iuxta septuaginta communiter docuerunt paradisu constitutum fuisse in Oriente. Ita senserunt Basilus, & Ambrosius de Paradiso, Hieronymus in quæstionibus hebraicis in Gen. Augustinus lib. 8. de Gen. ad litt. cap. 3. Eucherius, Rupertus, & plures alij in Genes. Damascenus lib. 2. de fide, cap. 11. Isidorus lib. 14. Etymol. cap. 3. & alij, quos refert, & sequitur Moyses Barcephala lib. de Paradiso, cap. 14. Idem docet Iosephus lib. 1. Antiquit. cap. 2. Cum igitur

Iudæi, & Patres Græci, & Latini in hoc conueniant, videtur hæc sententia traditione firmari, idcoque aliqui putant hinc ortam consuetudinem orandi ad Orientem, vt insinuat Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 104. art. 3. ad 3. ex coque Suarius tom. 2. de Relig. lib. 3. cap. 7. num. 75. Sanctus Thomas hoc art. 1. quæst. 102. in corpore affert rationem conuenientia, dicens de paradiso. *Conuenienter autem in parte orientali dicitur situs, quia credendum est, quod in nobilissimo loco totius terra fuerit constitutus. Cum autem oriens sit dextra celi, vt patet per philosophum 2. de celo t. 15. dextra autem est nobilior, quam sinistra, conueniens fuit, vt in parte orientali paradisu terrenus insisteretur à Deo.*

23. Quæritur sextò, qua die paradisu fuerit à Deo productus?

Respondeo, quod vt docent Patres, ac Theologi communiter cum Sancto Thoma, hoc art. 1. ad 5. productus fuit tertia die. Ratio est, quia vt habetur Gen. 1. tertia die productæ sunt herbæ, ac plantæ: ergo etiam productæ sunt arbores paradisi. Dum igitur cap. 3. post narrata opera sex dierum dicitur, *Plantauerat autem Deus paradisu voluptatis à principio*, nomine principij significatur vna ex primis sex diebus, nimirum tertia, qua Deus plantauit alias arbores, vt docet Suarius lib. 6. de Opere sex dierum, cap. 6. n. 37.

24. Quæritur septimò, vtrum paradisu aquis diluuij fuerit destructus, vel adhuc conseruetur, & duret, duraturus vsque ad finem mundi?

Respondeo plures, ac graues auctores hac ætate consensisse paradisu non amplius existere, sed aquis diluuij fuisse destructum.

25. Dicendum cum communi Patrum sententia, paradisu adhuc existere, & duraturum vsque ad finem mundi. Docuerunt hanc sententiã Irenæus, Iustinus, Athanasius, Augustinus, Hieronymus, Isidorus, & alij, quos citat, & sequitur Suarius 10. 2. in 3. par. disp. 55. sect. 1. & in defensione fidei lib. 5. cap. 13. & lib. 3. de opere sex dierum, cap. 6. num. 3. Supposita Patrum auctoritate, probatur primo. Nam Gen. 3. in fine dicitur, quod *Deus collocauit ante paradisu voluptatis Cherubim flammeum gladium habentem, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vite*: ergo cum Deus ministerio Angelico post eiectionem Adam vouerit paradisu custodire, & conseruare, verisimile est, quod conseruaret etiã ab aquis diluuij, & adhuc conseruet. Secundo Ecclesiast. 44. de Enoch dicitur: *Translatu est in paradisu*: ergo cum Enoch adhuc viuat, verisimile est, quod ex paradiso non fuerit translatus in alium locum, sed ibi mansurus sit cum Helia vsque ad tempora Antichristi. Ideo Sanctus Thomas art. 2. huius quæst. 82. ad 3. indicat Enoch, & Heliam nunc in paradiso habitare, ac Sanctus Augustinus lib. 2. de peccato originali, cap. 23. dicit. *Qualis, vel vbi sit paradisu, vbi constituit Deus hominem, quem formauit ex puluere, quæstio est præter fidem, cum tamen*

tamen esse illum fides christiana non dubitet.

26. Opponitur: aliqui diligentissime in-
quisierunt omnia loca terræ habitabilis, & ta-
men nullibi paradisum inuenerunt: ergo para-
disus non remanet.

Respondet Sanctus Thomas hoc art. 1.
quæst. 102. ad 3. quod locus ille seclusus est à no-
stra habitatione aliquibus impedimentis; vel mon-
tium, vel marium, vel alicuius æstuosa regionis,
quæ pertransiri non potest. Licet autem aliqui exi-
stiment paradisum fuisse in Mesopotamia, vel
Arabia, vel in alia regione, quæ nunc tota
habiretur, & sit nota, tamen hoc est parum
conforme antiquis Patribus, qui cum Augu-
stino lib. 8. de Gen. ad litteram, cap. 7. dicunt
locum paradisi à cognitione hominum esse
remotissimum. Sanctus Thomas 2. 2. qu. 164.
art. 2. ad 5. existimat locum paradisi esse inac-
cessibilem præcipue propter vehementiam
æstus in locis intermedijs, & hoc significari
per igneum gladium, qui dicitur versatilis,
quia versatur ex motu circulari solis, qui mo-
tus per Angelum fit. Chrysostomus hom. 18.
in Gen. dicit gladium dici versatilem, quod
obduret, et permutet omnes vias, quæ illuc ferunt, ac
Augustinus lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 40.
dicit. Hoc per cælestes potestates in paradiso visi-
bi factum esse credendum est, ut per angelicum mini-
sterium esset illi ignea quadam custodia.

27. Quæritur septimo, vtrum paradisus
fuerit locus conueniens habitationi huma-
næ?

Respondet affirmatiue Sanctus Thomas
art. 2. quæst. 102. in corpore. Probat: nam
corpora primorum hominum non erant in-
corruptibilia, & immortalia per qualitatem
intrinsicam incorruptibilitatis, sicut corpora
beatorum post vltimam resurrectionem, sed
solum quia animæ data fuerat virtus præser-
uandi corpora à corruptione, & morte per
media quadam à Deo preparata; sed corpus
humanum naturaliter corrumpi potest ab in-
trinseco per consumptionem humidi, & per
senectutem; & ab extrinseco præsertim per
intemperiem aeris: ergo locus conueniens ha-
bitationi hominum pro statu innocentie de-
buit esse talis, ut in eo homo posset se præser-
uare à consumptione humidi, & à senectute,
& ab aeris intemperie: sed in paradiso homo
poterat se præseruare à consumptione humi-
di, & à senectute per vsum ciborum, & præ-
sertim per fructum ligni vitæ, ut cum Sancto
Thoma quæst. 97. art. 3. & 4. diximus qu. 272.
ab intemperie autè aeris potuisset præseruari,
quia ut dicit Damascenus lib. 2. de fide, cap. 11.
paradisi locus est temperatus, et tenuissimo, ac pu-
rissimo aere circumfulgens, plantis semper floridis or-
natus, & eodem cap. dicit de paradiso, quod
est diuina regio, et digna eius, qui secundum imagi-
nem Dei est, conseruatio. Concludit Sanctus
Thomas hunc art. 2. dicens, quod paradisus de-
bet esse in loco temperatissimo, vel in æquinoctiali,
vel alibi.

28. Addit primo Sanctus Thomas in resp.

ad 2. quod paradisus terrestris erat locus con-
gruus homini, & quantum ad animam, &
quantum ad corpus, in quantum scilicet in-
anima erat vis præseruandi corpus humanum
à corruptione. Et quia corpora aliorum ani-
malium erant ita obnoxia corruptioni, ut non
deberent ab illa præseruari, ideo paradisus ter-
restris non erat congruus habitationi alio-
rum animalium, ac ut dicit Damascenus
lib. 2. de fide, cap. 11. in paradiso nullum ir-
rationalium habitat, licet ex diuina dispensa-
tione animalia fuerint illuc adducta ad Adam,
& serpens illuc accesserit per operationem
Diaboli.

29. Addit secundo, quod cælum empy-
reum fuit locus congruus Angelis, tum se-
cundum eorum naturam, tum secundum sta-
tum beatitudinis, ideoque Angeli debuerunt
creari in cælo empyreo. Ratio est, quia cæ-
lum empyreum est supremum inter loca cor-
poræ: ergo conueniens est, ut natura spiri-
tualis, quæ est suprema, & per quam Deus
regit creaturam corporalem, ut dicit Augu-
stinus lib. 3. de Trinit. cap. 4. creata fuerit in
supremo loco, hoc est in cælo empyreo.
Rursus cælum empyreum est immobile, ac
non subiacet mutabilitati, ut dictum est qu. 213.
num. 7. & 15. ergo conuenit statui beatitu-
dinis, qui requirit summam quandam stabi-
litem; ergo cælum empyreum est locus con-
gruus Angelis beatis, tum propter naturam,
tum propter beatitudinem. At homini non
conuenit propter naturam, quia natura hu-
mana non est suprema, sed solum conuenit
propter beatitudinem, ac proinde homo ab
initio, ante quam esset perfecte beatus per vi-
sionem intuitiuam Dei, non debuit poni in
cælo empyreo, sed in paradiso terrestris, trans-
ferendus in cælum empyreum, quando esset
consecuturus beatitudinem perfectam consi-
sentem in visione Dei.

30. Quæritur octauo, vtrum, & in quo
sensu Adam fuerit positus in paradiso, ut
operaretur, & custodiret illum, ut dicitur
Gen. 2.

Respondet Sanctus Thomas art. 3. huius
quæst. 102. quod ut Augustinus dicit lib. 8. de
Gen. ad litteram, cap. 10. dupliciter potest in-
telligi, quod Deus posuerit hominem in pa-
radiso, ut operaretur, & custodiret illum.
Primus sensus est: Deus posuit hominem in
paradiso, ut ipse Deus operaretur hominem,
ipsum magis, & magis iustificando, & custo-
diret ab omni malo, & corruptione. Secun-
dus sensus est: Deus posuit hominem in para-
diso, ut homo operaretur, & custodiret para-
disum, non quidem operatione, & custodia la-
boriosa, qualem circa terram exercemus post
peccatum, sed operatione quadam iucunda,
propter experientiam naturæ. Debet autem
aduerti, quod licet iuxta versionem latinam
verba illa possint habere vtrumque sensum,
tamen ut docet Suarius lib. 3. de opere sex die-
rum, cap. 6. nu. 17. iuxta hebraicam linguam

Hhhhh

prima

prima expositio non videtur posse habere locum. Siquidem dum dicitur, *et operaretur, et custodiret illum*, pronomen *illum* in hebræo est feminini generis, ac proinde refertur ad *paradisum*, qui pariter in hebræo est feminini generis, non autem ad *hominem*, qui est generis masculini.

31. Quæritur nono, vtrum homo factus fuerit in paradiso?

Respondet Sanctus Thomas art. 4. q. 102. quod homo factus fuit extra paradisum, ac deinde in paradisum translatus. Probatur: nam Gen. 2. dicitur: *Tulit Deus hominem*, hoc est Adam, *& posuit eum in paradiso*. Rationem congruentiæ affert Sanctus Thomas. Nam, eatenus paradisus erat locus congruus homini in statu innocentie, quatenus homo in eo statu erat incorruptibilis, hoc est immunis à corruptione, & morte: sed homo erat immunis à corruptione, & morte, non per naturam, sed per donum Dei supernaturale: ergo paradisus erat locus homini congruus, non per naturam, sed per donum Dei supernaturale: ergo conueniens fuit, ut ad hoc insinuandum, homo prius crearetur in suo loco naturali extra paradisum, deinde transferretur in paradisum, in eo mansurus, donec viveret vitam animalem, manducando, bibendo &c. ac donec assumeretur in cœlum empyreum, visurus Deum, ac ducturus per totam eternitatem vitam spiritualem. Licet autem Adam formatus fuerit extra paradisum, filij generati fuissent in paradiso, non propter suam dignitatem, sed propter dignitatem principij, sicut etiam Heua debuit formari in paradiso propter dignitatem principij, hoc est Adami, qui iam fuerat in paradiso collocatus.

TRACTATUS XVII. ET VLTIMVS.

De gubernatione rerum eiusque effectibus, qui sunt conseruatio, & mutatio, qua Deus creaturas mutat, & mouet immediatè, vel medianibus alijs creaturis.



VIA Deus non solum ab initio res creauit, distinxit, & ordinauit per opera sex dierum, sed etiam eas gubernat, ideo Sanctus Thomas postquam à questione 44. vsque ad 102. inclusiue egit de creatione, ac distinctione rerum, & de operibus sex dierum, quæst. 103. descendit ad agendum de diuina gubernatione, ac de duobus præcipuis

eius effectibus, qui sunt rerum conseruatio, & mutatio. Quæstione igitur 103. agit de diuina gubernatione: Quæst. 104. agit de rerum conseruatione, quæ est primus effectus diuinæ gubernationis: Quæst. 105. & sequentibus vsque ad 119. & vltimam, agit de rerum mutatione, quæ est secundus effectus gubernationis. Et quia res possunt mutari, vel immediatè à Deo, vel medianibus alijs creaturis, ideo quæst. 105. agit de mutatione, qua res mutantur à Deo immediatè: quæstionibus sequentibus agit de mutatione, qua res mutantur ab alijs creaturis. Et quidem à quæst. 106. vsque ad qu. 114. inclusiue agit de mutatione, qua creaturæ spirituales, hoc est, Angeli vel boni, vel mali agunt in alias creaturas, tum spirituales, tum corporeas, & harum quæstionum doctrinam explicauimus supra agentes de Angelis, tract. 13. qu. 193. & sequentibus vsque ad quæst. 210. Quæst. 115. & 116. agit de actione creaturæ corporalis, ac de fato. Quæstione demum 117. 118. & 119. agit de actione hominis, qui constat ex corpore, & anima rationali, quæ est spiritalis. Doctrinam harum quæstionum breuiter proponimus hoc tractatu quæstionibus, quarum tituli videri possunt in indice initio proposito.

QVÆSTIO CCLXVII.

Virum mundus gubernetur ab aliquo vno, & ad quem finem ordinetur: ac virum effectus gubernationis sint conseruatio rerum in bono, earumque motio ad bonum?

Quæst. 103. art. 1. 2. 3. 4.

1. **Q**uæstione 103. art. 1. Sanctus Thomas quærit, vtrum mundus gubernetur ab aliquo.

Respondet affirmatiue contra aliquos antiquos philosophos, qui dixerunt omnia agi fortuito, ac proinde sine rectore, & gubernatore. At mundum ab aliquo gubernari probatur primò ex Scriptura. Nam Sap. 14. dicitur. *Tu autem Pater gubernas omnia prouidentia*. Confirmatur ex Boetio, qui lib. 3. de consolatio. metro 9. dicit. *O qui perpetua mundum ratione gubernas*.

2. Probatur secundo ratione desumpta ex rebus ipsis, earumque ordine. Quando enim aliqua ita fiunt, & ordinantur, ut est melius, evidens est, quod ab aliquo sapiente gubernatore fiunt, & ordinantur: ex. gr. quia domus ita fit, & ordinatur, ut est melius ad finem commodæ habitationis, evidens est, quod ab aliquo sapiente architecto fit, & ordinatur: sed res naturales semper, aut plerumque ita fiunt, & ordinantur, ut melius est ad suas operationes exercendas: oculi enim ita fiunt,

ut